Pamph. Gk. Lit. Hist. D.

Antonius (Melissa)
Maximus Confessor

QUAESTIONES CRITICAE

AD MAXIMI ET ANTONII GNOMOLOGIAS

SPECTANTES.

ACCEDUNT DISPUTATIUNCULA DE FLORILEGIO
QUODAM INEDITO ET SCHEDAE CRITICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

REINHOLDUS DRESSLER.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXVIIII.

FRIDERICO · RITSCHELIO

PRAECEPTORI · SUMME · VENERANDO

D · D

REINHOLDUS · DRESSLER

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/quaestionescriti00dres

PRAEFATIO.

Inter gnomologias graecas*) quae ad nostram pervenerunt aetatem uberrima est Ioannis Stobaei ἀνθολόγιον, cuius ad amplitudinem e ceteris eius generis syllogis proxime accedunt Ioannis Damasceni 'parallela sacra'. Tertium et quartum locum obtinent Maximi et Antonii syllogae. Iam diu est, ex quo philologi veterum scriptorum fragmenta, quae permulta in his Maximi et Antonii florilegiis tradita sunt, in usum suum converterunt, sed editionibus usi sunt saeculo XVI et XVII factis, neque quisquam diligentius perscrutatus esse videtur, nec quae earum essent rationes nec quibus codicum manu scriptorum niterentur fundamentis. Quam ob rem operae pretium facere mihi visus sum, in eam rem si accuratius inquirerem, ut ad dispellendas tenebras, quibus haec Maximi et Antonii florilegia quasi obruta iacerent, quantum possem, conferrem. Quodsi aliquid praestitisse videbor, maximae gratiae a me agendae sunt iis viris doctis, qui multi liberalissime in his studiis me adiuverunt, inprimis vero Friderico Ritschelio,

*) Eas, quae publici iuris factae sunt, enumeratas habes apud R. Nicolaium hist. litt. gr. p. 625.

praeceptori summe venerando, cuius erga me officiorum memoria nunquam ex animo meo evanescet.

Disputatiunculam de florilegio adhuc paene ignoto, quod codicibus Barocciano 143 et Monacensi 429 continetur, adieci, quia hanc syllogen dignam existimabam, quae non prorsus oblivione premeretur. Denique schedas criticas subiunxi maximam partem ad florilegia graeca spectantes, quas aeque ac totum libellum viri docti ut benigne excipiant et opto et rogo.

Scribebam Lipsiae mense Octobri a. MDCCCLXVIII.

Caput I.

De nomine Melissa.

Monachus ille Antonius, qui syllogen sententiarum composuit a Conrado Gesnero una cum Maximi florilegio editam Tiguri a. 1546, a multis hominibus doctis appellatur 'Antonius Melissa.' Primus, apud quem hunc errorem (nam falso Antonium Melissam dici statim probaturi sumus) deprehendi, Combefisius est, qui in Maximi Confessoris operum Lutetiae editorum a. 1675 tom. II pag. 719 ait Gesnerum S. Maximi sermones edidisse 'semel et iterum cum Antonio Melissa.' Inde hic error latius fluxisse videtur; nam in catalogo codicum graecorum, qui Venetiis apud Nanios asservantur, a Mingarellio confecto pag. 501 commemoratur 'Florilegium ex Antonio Melissa'. Item (ut alios omittam) Otto Bernhardtius in libello scholastico, quem de florilegiis graecis scripsit Soraviae a. 1865 pag. 16, et Rudolphus Nicolai in historia litterarum graecarum pag. 625 monachum illum Antonium Melissam nominant. Et hi quidem, quos modo commemoravi, unde collegerint hoc nomen monacho fuisse, non dixerunt, Harlesius vero in Fabricii bibl. gr. vol. IX pag. 744 a studii assiduitate hoc nomen eum accepisse contendit, vel potius coniecit; nam argumentum, quo sententiam suam nobis probaret, nullum attulit.

Sed rectissime Ritschelius monet in opusculorum vol. I, in adnotatione ad pag. 732 adscripta, Melissa nomen iniuria monacho illi tributum esse his verbis: 'Suam autem syllogen cum Antonius Μέλισσαν inscripsisset, hinc mero ut videtur errore ipsi homini Melissa nomen adhaerescere prava recentiorum consuetudine coepit.' Quamquam iam antea hac de re recte iudicavit Coxius, qui in catalogo codicum bibl. Bodl. vol. I pag. 2, ubi de opere, quod est alterum in codice Barocciano 2, verba facit, recte dixit: 'Antonii magni monachi Melissa' (nisi haec verba in codice ipso scripta legerat). Gesnerus vero ipse, ut e praefatione editionis Tigurinae perspicitur, scriptorem sylloges semper Antonium appellat, Melissam collectionem sententiarum ab eo factam. Ritschelium autem recte hac de re iudicasse, tituli ipsi conspectui capitum, in quae bini libri Antonianae sylloges divisi sunt, in editione Tigurina praemissi testantur: Πίναξ εἰς τὸ πρῶτον τῆς τοῦ Ἀντωνίου μοναχοῦ Μελίσσης βιβλίον κτέ. et Πίναξ εἰς τὸ δεύτερον τῆς τ. Ἀ. μ. Μελ. βιβλίον. Sed cum huius testimonii vim quispiam infringere

possit contendens hos capitum πίνακας Gesnerum non e codice manu scripto sumpsisse, sed de suo addidisse (ut sane totius voluminis Tigurini inscriptionem graecam ab eo profectam esse infra demonstrabitur), alterum in promptu esse gaudemus, e quo luculentissime apparet Antoniano operi, non homini ipsi Μέλισσα nomen deberi. Codex enim Vindobonensis 207, de quo Lambecius exponit in commentariorum de bibl. Caes. vol. V p. 7 ed. 1, hoc titulo inscriptus est: Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίου Κεφάλαια, ἐν οἷς περὶ ἤθους ἐλάλησεν ἀνθρώπων καὶ χρηστῆς πολιτείας, ἐκ τῶν θείων γραφῶν ἀνθολογήσας, καὶ Μέλισσαν τὸ βιβλίον ὀνομάσας.*)

Hac occasione oblata proponere liceat, quod e nonnullis testimoniis iure colligere mihi videor: μέλισσα non solum Antoniani operis nomen fuisse, sed saepius talia florilegia (Antoniani scilicet similia) ita nominata esse. Adduxit me in hanc sententiam primum inscriptio codicis Veneti, Nanianorum bibliothecae 300, qui in catalogo Mingarelliano pag. 501 describitur. Huius codicis opus tertium, quod est inde a pag. 34, inscribitur ita: ἀνθολόγημα ἤγουν μέλισσα ἔχων κείμενα διάφορα ἁγίων καὶ σοφῶν ἀνδρῶν περὶ βίου ἀρετῆς καὶ κακίας (in catalogo quidem haec sententiarum sylloge appellatur: 'Florilegium ex Antonio Melissa', sed infra ostendemus aliter de ea statuendum esse). Iam si grammaticus, qui haec verba scripsit, ἀνθολόγημα nomen per μέλισσα vocem explicari voluit, haec illo usitatior fuerit necesse est, unde consequitur saepius hoc nomen talibus libris inditum esse. Deinde altera pars codicis Baroc-ciani 2 (de quo exponit Coxius in codicum bibl. Bodl. catal. vol. I pag. 2.) in calce hos versus politicos habet:

μέλιτταν τὴν μέλιτος μελιττοτέραν
ἥτις γέμει μέλιτος γλυκαίου πάνυ
οἱ ποθοῦντες μέλιτος ἀπογευθῆναι
δεῦτε προσπελάσατε τῇ μελιῤῥύτῳ.
ταύτην ἀναπτύξατε καὶ χορτασθῆτε.

Coxius hoc opus Antonii magni monachi Melissam esse dicit, sed mihi quidem suspitio orta est (quibus de causis, infra p. 16 ostendam) illud pro Maximi potius sylloge habendum esse, cui multo similius videtur quam Antonianae.

Deinceps extremae paginae codicis Monacensis 429 (de quo infra seorsum copiosius exponemus) subscriptum est: ἡ μέλισσα et βίβλος μέλισσα καλῶν πραγμάτων. Hunc vero codicem non Antonii Melissam, sed prorsus aliam sententiarum syllogen continere confidenter affirmare possumus.

Haec si perspexerimus, recte iudicabimus de inscriptione quadam codicis Veneti, quam minus recte intellexit Zanettius. Is enim in catalogo manuscript. graec. bibl. Marcianae pag. 272 exponens de codice 507, qui continet 'S. Maximi opera quaedam varia in capita 71 distributa', haec dicit: 'In nota, quam Codicibus suis appingere solet Bessario ad

---

*) De hoc titulo infra pluribus disseremus pag. 10 s.

innuenda quae continentur opera, Melissae (Anton.) hoc opus tribuitur.' Qua de re equidem existimo Bessarionem codici suo inscripsisse μέλιccα, non ut Antonio tribueret opus, quod re vera est Maximi, sed ut sententiarum collectionem sive μέλιccαν in hoc libro inesse significaret.

Si quis miretur, quod tam exquisito nomine μέλιccα scriptores antiqui saepius usi sint, is ea conferat, quibus Aulus Gellius Noctibus Atticis praefatus est. Nam in his a § 5 de titulis exquisitissimis exponit, quos ii, qui 'variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam' conquisivissent, libris suis indiderint. 'Nmque alii Musarum inscripserunt, alii silvarum, ille πέπλον, hic Ἀμαλθείαc κέραc, alius κηρία, partim λειμῶναc, quidam lectionis suae, alius antiquarum lectionum atque alius ἀνθηρῶν et item alius εὑρημάτων. Sunt etiam qui λύχνουc inscripserunt, sunt item qui cτρωματεῖc, sunt adeo qui πανδέκταc et Ἑλικῶνα et προβλήματα et ἐγχειρίδια et παραξιφίδαc.' Ex his intellegere licet, quam saepe factum sit, ut cum quis eiusmodi titulum exquisitum libro suo inscripsisset, alii eum imitantes eodem uterentur. Nec aliter res se habet in voce μέλιccα, qua, postquam Antonius opus suum ita appellavit, alii similis argumenti collectiones significasse videntur.

Quo tempore Antonius monachus florilegium suum scripserit, non constat; nam aperte falsum esse, quod R. Nicolaius in historia litt. graec. pag. 625 dicit, fortasse eum saeculo octavo vixisse, inde elucet, quod nonnullis Melissae locis Photii patriarchae sententiae afferuntur (ut libri I cap. 24 p. 28, cap. 26 p. 31 edit. Tigurinae), quem anno 891 mortuum esse scimus. Post hunc igitur annum Melissam, quam Gesnerus edidit, scriptam esse apparet. Non abhorret a probabilitate ad eundem Antonium, cui Melissa debetur, referenda esse, quae Montefalconius in 'bibliotheca Coisliniana' codici 205 subscripta esse refert. Is enim codex, qui undecim opera continet ad res sacras spectantia, in calce haec habet: Ταύτην οὖν τὴν βίβλον ἐξαγοράcαc...... αὐτῆc ἐπεποιήθη Ἀντώνιοc μοναχὸc καὶ ξένοc. καὶ ὅπου αὐτὴν καταλήψεcθε, εὔχεcθε ὡc ἕξη τὸν μιcθὸν ὃc καὶ...... ἔγραψε τὰ γράμματα ταῦτα. ἠγοράθη δὲ ἰνδ. β' ἔτουc ϛφπζ'.

Mutilae subscriptionis sensum Montefalconius hunc esse putat: 'hunc librum scripsisse Antonium Monachum et hospitem, emptum autem fuisse anno 6587 (i. e. post Chr. n. 1079) indictione secunda.' Quid horum verborum scriptor exprimere voluerit, ex eorum reliquiis perspicere non licet; unum tamen certum est Antonium monachum commemorari. Itaque aut ante aut circa annum 1079 eum vixisse statuendum est, saeculo igitur XI.

Eundem Antonium monachum κεφάλαια, ἐν οἷc περὶ ἤθουc ἐλάληcεν ἀνθρώπων καὶ χρηcτῆc πολιτείαc scripsisse titulo illo codicis Vindobonensis indicatur. Ceterum eadem capita in Mosquensibus quoque duobus codicibus tradita sunt (qua de re conferas Fr. de Matthaei 'notitiam cod. manuscr. bibliothecarum Mosquensium'); codicis enim synodalis 312 opus 4 inscribitur: ἀντωνίου τοῦ μεγάλου κεφάλαια παραινετικὰ περὶ ἤθουc ἀνθρώπων καὶ χρηcτῆc πολιτείαc, codicis synodalis 378 opus 18 ἀντωνίου μοναχοῦ παραινέcειc περὶ ἤθουc

ἀνθρώπων καὶ χρηστῆς πολιτείας. Quartum exemplar est in codice Escorialensi (Y III 2) 269, quem Millerus in catalogo pag. 223 ss. descripsit, inde a fol. 304r: 'Παραινέσεις περὶ ἤθους ἀνθρώπων κ. τ. λ. en cent soixante-dix chapitres, par Antoine le Moine.'

Fortasse ad eundem Antonium illud quoque opus pertinet, quod commemoratur in Philologi vol. IX (a. 1854) p. 582. Ibi enim Mordtmannus catalogum exhibet codicum manu scriptorum, qui in bibliotheca imperatoris Turcici servantur, e quibus 14 appellatur: Antonii Monachi Συναγωγὴ λέξεων. Alterum lexici huius exemplar in bibliotheca Vaticana latere videtur. In bibliotheca enim Escorialensi [X I, 15 354] catalogus asservatur codicum manu scriptorum bibliothecae cardinalis Sirleti quam postea Ottobonii cardinalis fuisse, postremo in Vaticanam illatam esse constat. Iam in catalogo illo Escorialensi (apud Millerum pag. 320 extr.) affertur: 'Lexique du moine Antoine', sed utrum idem liber etiam nunc in Vaticano exstet necne, e Montefalconii 'bibliotheca bibliothecarum' non perspicitur. Is enim in descriptione bibliothecae Ottobonii cardinalis (vol. I pag. 187 D) tria lexica commemorat: 'Lexicon Graecum satis amplum scriptum anno Christi 1292.

Aliud Lexicon saeculo XV.

Aliud 500 annorum haud amplum', sed Antonii monachi mentionem non facit. Quamquam haud abhorret a veri similitudine unum ex his lexicis esse illud 'Lexique du moine Antoine', praesertim cum in Escorialensi quoque catalogo tria lexica enumerentur: 'Lexique latin-grec, Lexique du moine Antoine, Lexique grec-latin de Cassien Longin.'

Excursus I. De codice Vindobonensi 207.

Lambecius cum capita, quae hoc codice continentur, ethica ab eiusdem Antonii sylloge, quae Melissa inscribitur, prorsus diversa esse videret, titulum huius codicis graecum necessario corrigendum putavit ita: Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίου, τοῦ ἐκ τῶν θείων γραφῶν ἀνθολογήσαντος καὶ Μέλισσαν τὸ βιβλίον ὀνομάσαντος, κεφάλαια περὶ ἤθους ἀνθρώπων καὶ χρηστῆς πολιτείας, quam mutationem audacissimam esse nemo non intellegit. Id quidem concedi oportet verba ἐκ τῶν θείων γραφῶν ἀνθολογήσας καὶ Μέλισσαν τὸ βιβλίον ὀνομάσας ad capita illa ethica referri nullo modo posse. Nam capita haec ab anthologio sacrae scripturae prorsus differunt, nec veri simile est duo opera ab Antonio eodem titulo Μέλισσα inscripta esse. Sed mihi quidem tituli illius verba sat commode explicari posse videntur, si statuimus verba ἐκ τῶν θείων γραφῶν ἀνθολογήσας et q. s. a grammatico, qui titulum scripsit, apposita esse eo consilio, ut indicaret capita ethica ab eodem Antonio esse profecta, qui syllogen sententiarum e sacris scriptis composuisset, non ab alio quodam Antonio, ita ut totum titulum interpretemur: 'Sancti Antonii capita, in quibus verba fecit de moribus hominum et de bona rei publicae administratione, postquam e scriptis divinis sententiarum syllogen composuit idque opus Μέλισσα inscripsit.' Rem

ita se habere ceterorum operis huius exemplarium tituli, quos supra descripsimus, testantur, in quibus florilegii Antoniani, quod Μέλιςςα appellatur, mentio nulla fit. Verba autem ἐκ τῶν θείων γραφῶν ἀνθολογήσας et q. s. mirum quantum cadunt in syllogen a Gesnero editam; nam is, qui duos huius collectionis libros confecit, hanc sibi rationem proposuit, ut plurima capita contexeret e sententiis e libris divinis et a scriptoribus ecclesiasticis ascitis, quibus adiungeret a scriptoribus profanis petitas multo pauciores, nonnulla (eaque alterius potissimum libri) ita componeret, ut sententias a profanis scriptoribus repetitas omnino nullas adscriberet.

Excursus II. De codice Naniano 300.

Codicis huius opus 3 a Mingarellio 'Florilegium ex Antonio Melissa' appellatur, quamquam graecus huius operis titulus Antonii mentionem non facit. Incipit hoc ἀνθολόγημα: τοῦ εὐαγγελίου: — ςτενὴ ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουςα εἰς τὴν ζωὴν: — τοῦ ἀποςτόλου: — μὴ νικῶ ὑπὸ τοῦ κακοῦ, ἀλλὰ νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν, a quibus verbis sane initium capit Antonianae sylloges libri I cap. 7. At si is, qui hoc ἀνθολόγημα scripsit, ex Antonii Melissa sua desumpsisset, mirandum videretur, quod prioribus neglectis e septimo demum capite nonnulla ascivisset. Iam vero eadem verba, a quibus ἀνθολόγημα Venetum orditur, initium faciunt Maximi sermonum (id quod e Ribitti versione perspicitur), tituli autem verba περὶ βίου καὶ ἀρετῆς καὶ κακίας e Maximi opere, cuius primo capiti superscripta sunt eadem fere verba περὶ βίου ἀρετῆς καὶ κακίας, desumpta esse vix dubium est (nam Antonianae sylloges caput 7 περὶ ἀρετῆς tantum inscribitur). Quare equidem ἀνθολογήματος huius scriptorem non Antonii, sed Maximi copiis usum esse crediderim.

Caput II.

De editionibus syllogarum Maximi et Antonii.

Ne quis miretur, quod simul de utriusque collectionis editionibus sim disceptaturus, ad defendendum consilium meum hoc praemittam: Antonii opus nunquam vulgatum esse nisi una cum Maximi, ita ut in editionibus recensendis seorsum de utroque agere non possimus. Habemus enim Antonii et Maximi syllogarum editiones tres a Conrado Gesnero factas; Maximi librum ab Antoniano opere separatum publici iuris fecit Franciscus Combefisius in Operum S. Maximi Confessoris (editorum Parisiis a. 1675) tomo II pag. 528ss. Sed cum aptius videatur de hac quidem editione infra disserere, nunc Gesnerianarum editionum rationes explicare liceat, quarum prima prodiit Tiguri apud Christophorum Froschoverum

anno 1546, altera Francofurti apud Wechelium a. 1581, tertia Aureliae Allobrogum apud Franc. Fabrum a. 1609.

Ex his prima tantum, quamquam vel hanc gravissimis vitiis laborare statim intellegemus, editionis nomine digna videri potest, alterius tertiaeque tam misera est condicio, ut ex eis ad philologorum studia nihil fere fructus redundet. Nam Tigurino in libro cum Antonii et Maximi syllogas Gesnerus sanissimo consilio inter se discretas edidisset, in editione Wecheliana eas cum Stobaei sermonibus ita miscuit, ut singulas sententias eis Stobaei sermonibus adiungeret, quibus similia atque illis argumenta tractarentur. Itaque quae cuiusque eorum sint, perspici nullo modo potest. Tertium denique cum has collectiones esset editurus, in unum corpus eas conflavit conflatasque iunxit Stobaeo eodem loco et anno edito apud Franc. Fabrum hoc titulo inscriptas: 'Loci communes sententiarum ex s. scriptura, veteribus theologis et secularibus scriptoribus collecti per Antonium et Maximum monachos.' Unde apparet ne hic quidem, quae ex Antonii opere sumpta sint, quae e Maximi, intellegi licere.

Harum igitur editionum cum nulla fere ratio habenda sit, accuratius de prima tantum exponendum videtur.

Volumen, in quo Gesnerus Antonii et Maximi syllogas primum edidit, hoc indice inscriptum est: Ἐν τῇ παρούσῃ βίβλῳ ἔνεστι τάδε. Ἀπομνημονευμάτων, ἐκ διαφόρων τῶν τε καθ' ἡμᾶς, καὶ τῶν θύραθεν βιβλίων τόμοι τρεῖς. Μαξίμου κεφαλαίων περὶ τελείας ἀγάπης καὶ ἄλλων ἀρετῶν Ἑκατοντάδες δ. Θεοφίλου πρὸς Αὐτόλυκον περὶ θεοῦ καὶ πίστεως χριστιανῶν, βιβλία γ. Τατιανοῦ Ἀσσυρίου λόγος κατὰ ἐθνῶν.

Cavendum est, ne ex hoc indice concludas haec opera omnia uno codice manu scripto comprehensa fuisse, qui eandem haberet ac volumen Tigurinum inscriptionem. Immo Gesnerum hunc titulum toti volumini de suo imposuisse facillime probari potest. Is enim priora tria tantum voluminis opera edidit, duo posteriora Ioanni Frisio Tigurino debentur, qui in praefationibus eorum (pag. 244 v. 18ss. et pag. 276 v. 19ss.) certiores nos facit libros manu scriptos, quibus in edendis his operibus usus esset, Venetiis Tigurum a se deportatos esse Arnoldi Arlenii Peraxyli liberalitate. Opus deinde, quod voluminis Tigurini tertium est, Vincentius Opsopoeus iam anno 1531 (quem annum ipse subscripsit 'epistolae nuncupatoriae' in voluminis Tigurini translatione latina et ipsa anno 1546 a Gesnero edita p. 264s.) in latinum sermonem converterat, quam translationem Gesnerus latino libro inseruit modo commemorato. Ea cum frequenter vitiosa esset, ad graecum exemplar eam se recognovisse ait in praefatione extrema graeco volumini praemissa pag. IV. Unde non sine ratione concludere mihi videor Gesnerum in edendis his Maximi centuriis eodem codice graeco usum esse, e quo antea Opsopoeus ea latine verterat. Iam restat ut quaeramus, e quo fonte Gesnerus Maximi et Antonii syllogas hauserit.

Ipse in praefatione voluminis Tigurini pag. III, ubi 'de praesenti volumine' agit, haec dicit: 'In praesentia vero, quod videtis opus, candidi

Lectores (Venetiis id nactus favore illustris viri Diegi Hurtadi Mendozzae Hispani, Caesarei apud Venetos oratoris, et Arnoldi Arlenii Peraxyli, viri ut doctissimi, sic de studiis optime meriti opera) vobiscum communico'. Quibus e verbis colligendum existimo codicem, quem Venetiis se accepisse Gesnerus dicit, et Antonii et Maximi syllogen continuisse, quae res quam gravis sit momenti infra magis etiam apparebit. Conicere licet hunc codicem inscriptum fuisse titulo: Ἀπομνημονευμάτων ἐκ διαφόρων τῶν τε καθ' ἡμᾶς καὶ τῶν θύραθεν βιβλίων τόμοι τρεῖς.

Videamus nunc, quam rationem Gesnerus in eis, quae in hoc codice inerant, typis exprimendis secutus sit. Qua in re quid suo labore effectum sit, ipse in praefatione voluminis graeci pag. III indicat: 'Primum igitur ut in singulis dictionibus orthographia, et in sententiis distinctiones observarentur, non parum laboravi, quanquam id facilius fuit, quam explere mutila, et emendare corrupta: quod et ipsum pro virili mea praestiti, ut alios hoc labore, cum huiusmodi locis ceu spinis quibusdam, antequam lectionis fructum inde caperent, colluctandi levarem. — Sententias igitur, quae ex utroque Testamento citantur, plurimas inquisivi, tum castigandi gratia, tum ut capitum numeros Graecis simul et Latinis adscriberem: Illarum vero quae ex prophanis authoribus sumptae sunt, non pauca apud Stobaeum quoque leguntur, et inde quasdam restitui. Sin emendare aliunde non licebat, aut non vacabat (fere enim ad praelum haec acta sunt) coniecturas meas (ne quid temere mutaretur) ad margines annotavi.' Fatetur igitur his verbis multa partim e sacris scriptis, partim e Stobaeo tacite se correxisse, itaque caveamus oportet, ne nimis confidenter existimemus coniecturis in margine non ascriptis verborum continuationem codicis scripturas ubique praebere. Sed haec non una causa est, cur Gesneri editionem nostrae quidem aetatis philologorum studiis minus aptam esse dolendum sit. Alteram e proximis praefationis verbis cognoscas: 'Ad haec, locos aliquos in prima parte Melissae mutilatos, transmissis ad me quae deerant per doctissimum virum Vuolfgangum Musculum ex codice Augustanae bibliothecae explevi. Sed cum ea pars Graece iam esset excusa, interpretationi Latinae solum ea adieci: Graeca vero Maximi locis similiter inscriptis adiunxi.' De hoc codice bibliothecae urbis Augustae Vindelicorum, qui nunc est bibliothecae regiae Monacensis 429, infra copiosius disputandum erit, unde apparebit in eo nec Antonii nec Maximi syllogen contineri, sed aliam quandam sententiarum collectionem. Gesnerus vero hunc librum Antonii Melissam esse credebat, quamquam eum ab eo, quod Venetiis acceperat, Melissae exemplo multum differre se non nesciisse praefationis verbis ostendit, quae sunt pag. IV v. 7: 'Porro Melissae volumen illud, quod Augustae servatur, et pauciores nostro Locos, et alio ordine dispositos habet.' Videmus igitur Gesnerum eo quoque nomine reprehendendum esse, quod in Maximi syllogen aliena intulerit. Ceterum si scire cupimus, quae Gesnerus e codice illo Augustano in Maximi sermones intulerit, prima Melissae pars comparanda erit cum ipsius Gesneri interpretatione latina. Omnia enim, quae ibi leguntur neque inveniuntur in libro graeco, e codice Augustano hausta sunt. Quae facilius etiam cognosces, si Maximi sylloges verba graeca

cum Ribitti translationis latinis contuleris, quem in vertendo Maximi opere non Gesneri editione, sed ipso codice Veneto usum esse statim videbimus.

Sed iam eo venimus, ut Gesnerum gravissimi criminis accusemus, quod in edendo Maximi opere se commisisse invitus ipse confitetur proximis praefationis verbis: 'Praeterea cum permultae sententiae Collectaneorum Antonii sub eisdem titulis Maximi repeterentur, diligenti collatione adhibita, omnes illas obelisco notavi, nisi forte additis pluribus verbis aut emendatius legerentur. Quorsum enim attineret Lectorem taedio, mole volumen, emptorem pretio onerari?' Hoc consilio, quod nobis quidem perversissimum videatur necesse est, effecit, ut Maximi sermonum fragmenta potius quam sermones ipsos ederet, e quibus, quae genuina huius sylloges species ubertasque fuisset, ne divinare quidem posses. Tam misera in condicione rebusque ita afflictis unum solacium nobis relictum est, I. Ribitti interpretatio latina, qui, ut Gesnero olim 'laboris quasi Theseus accessit', sic nobis quoque praesidium offert, quo Gesneri vitio aliqua saltem ex parte mederi possimus. Pergit enim in praefatione Gesnerus ita: 'Verum hoc in Graecis tantummodo feci. Nam in translatione Ioan. Ribitti, docti et amicitia mihi coniuncti hominis (qui me rogante et impellente huius laboris mihi quasi Theseus accessit) ne cui viderer audaculus in alieno opere, nihil delere volui.' Hinc elucet omnia, quae fuerint in Gesneri codice, hoc Ribitti libro contineri; quare si quis ea, quae Gesnerus omisit, labore sane non exiguo Ribitti translatione utens adiutrice ex Antonii opere asciscere velit, Maximi syllogen paene talem, qualis fuit in codice Veneto, instaurare possit. Nonnulla ex eis, quae modo disputavi, iam F. Ritschelius paucis commemoravit in opusculorum vol. I pag. 731s. et in addendis ad hoc volumen pag. 835. 837. Postremo loco postquam ostendit, quam mutila esset Maximi editio Gesneriana, pergit: 'Wer daher den Maximus unverkürzt haben will, muss ihn in «S. Maximi Confessoris Opera» von Combefis (Paris 1675) nachschlagen, wo t. II pag. 528 — 689 die «Sermones per excerpta» so, wie wir sie handschriftlich überliefert haben, vollständig gegeben sind.'

Verum est Maximi syllogen a Combefisio multo integriorem editam esse quam a Gesnero, sed priora novem certe capita non e libro manu scripto edita esse a Combefisio, sed ipsius arbitratu ex Antonii sermonibus et Maximi Gesneriani fragmentis contexta ex eis intellegere licet, quae Combefisius 'Notis' praemisit alteri operum S. Maximi tomo adiectis. Pag. enim 719 posteaquam Gesnerum ob perversum consilium, quod in Maximo edendo secutus esset, vehementer vituperavit, v. 31 s. haec dicit: 'Quanta vero hinc Maximo ablata, ipse primum nonus sermo monstrat, a quo incipit MS. Maximi Codex mihi humanissime a Cl. V. ipsoque erudito D. de Ballesdens Sacerdote suppeditatus, si quid inde in rem literariam, a me posset produci, cum obliteratis initio fineque libri, neuter certus esset, eam Maximi lucubrationem illo contineri.' In codice igitur, quo usus est Combefisius, priora octo capita deerant, caput autem nonum, a quo incipiebat codex, initio ita oblitteratum erat, 'ut non nisi ab Antigoni sententia et sequenti Epaminondae legi' posset, id quod Combefisius indicat in nota 28. pag 722. Haec, quae in codice mutila invenerat, Combefisius

explere conatus est; et potuit admodum felici eventu id perficere, si quae Gesnerus expunxisset, Ribitti translationis ope ab Antonio ascivisset suisque locis singula in Maximi capitibus reposuisset. Sed hoc praesidium quantopere contempserit, satis ostendit verbis, quae leguntur p. 719 v. 44 s.: 'Ribittii (sic), quam laudat' (Gesnerus), 'Versio, ipsa distincte habens, quae essent Maximi, sua obscuritate sic pene evanuit, ut nec nancisci licuerit. Mihi certe ea parte Theseus (non qua sibi venditat Gesnerus), ut ab eius ipsius confusionis labyrintho me ipse expedirem, non ut magnum aliquid ex eius versione reddendis Maximi sententiis iuvarer.' Ac si quis vel unum e primis capitibus editionis Combefisianae cum Ribitti translatione contulerit, perspectum habebit, quantopere Combefisius licentiae suae indulserit. Quam vero rationem in componendis his novem capitibus secutus sit, ipse declarat p. 720 v. 4 ss.: 'in primis quoque octo Titulis ac capitibus, pauca quaedam ex Melissa libuit repetere, et quae magis visa sunt ex Maximi vena, ne ipse in illis, explicato iam furto seu plagio' (i. e. Gesneri), 'ieiunior abiret.' Iam satis superque demonstrasse nobis videmur in primis novem capitibus editioni Combefisianae fidem nullam habendam esse. Aliter res se habet in ceteris, nam inde a capitis noni sententia Antigoni Combefisius 'se vale dictare coniecturae' dicit (pag. 722 nota 28 extr.). Ballesdensis codicem ducem sibi futurum esse et regulam, qua Maximum sibi reddat, eaque duntaxat se illi adscripturum esse asseverat, quae is illi tribuat atque vendicet.' Et inde ab hoc loco codicis verba magna cum fide typis exprimenda curasse videtur; nam coniecturas, quibus ea corrigenda putavit, in marginibus commemorat. Denique pag. 719 extr. commemorat 'Titulos Auctorumque nomina, quod minio scripta fuissent, complura legi non potuisse, cum sententiae ipsae atramento scriptae parum aut nihil laborarent.' Quapropter, quod ad lemmata attinet, cavendum est ne nimium auctoritatis editioni Combefisianae tribuamus.

Caput III.

De codicibus manu scriptis, in quibus Maximi et Antonii florilegia aut insunt aut inesse dicuntur.

Duo tantum codices mihi innotuerunt, in quibus Antonii Melissam inesse homines docti contenderint. Alter est codex Monacensis 429, de quo, quia eum Antonii opus non praebere certissimum est, seorsum exponere statuimus, alter codex Baroccianus 2, de quo hoc loco agere placet.

Nonnulla de eo Coxius in catalogo affert vol. I pag. 2, ubi membranaceum eum esse dicit, formae minimae quadratae, foliorum 313 saeculi forsan XII exeuntis. Codicis huius opus alterum (quod fol. 9 incipit) a Coxio sic describitur: 'Antonii magni monachi Melissa, sive

collectanea theologica et oeconomica e variis libris auctoritatibusque extracta, capitibus septuaginta tribus. Cap. 1 est de virtute et incipit στενὴ ἡ ὁδὸς καὶ τεθλιμμένη ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωήν. Est in ed. 1546 cap. VII. Differt tamen codex noster tam in numero quam in contentis capitum ab editionibus eiusdem operis prolatis.' In calce sunt versus illi, quos supra pag. 8 transcripsimus.

Mirum videtur, quod Coxius 'editiones eiusdem operis' (i. e. Antonii Melissae) commemorat, quamquam, ut ex eis, quae de Antoniani operis editionibus vel potius editione disseruimus, apparet opus, quod est in codice Barocciano, cum Tigurina sola editione comparari potuisse, a quo multum id differre Coxius ipse concedit. Quare num satis recte Coxius de eo iudicaverit, vehementer dubito viroque doctissimo hac quidem in causa non admodum magnam auctoritatem tribuam. Quid enim? Nonne mirum est idem argumentum, in quo primum operis Barocciani caput versetur, primo Maximi sylloges capite tractari, nec a quibus verbis collectanea Barocciana incipiant, ab eisdem Maximi sermones initium capere (quae quidem verba a Gesnero in graeca editione omissa e Ribitti translatione asciscenda sunt)? Haec ita se habere cum viderem, opus Baroccianum non Antonii sed Maximi potius syllogen (aut eius certe recensionem) esse conieci, et quamquam hac in re me falli posse concedo, tamen a me impetrare non potui, quin hanc sententiam gravioris iudicii viris proponerem. Praeterea opus Baroccianum e 73 capitibus compositum est, qui numerus longissime abest a capitum, e quibus libri duo Antonianae collectionis constant (nam tota Μέλισσα 176 capita habet), proxime accedit ad Maximi sermonum numerum, qui in editionibus Gesneriana et Combefisiana sunt 71, sed 75 in bibliothecae Laurentianae plutei XI codice 14. Utut hoc est, unum tamen certum est hunc codicem non esse eum nec similem ei, e quo Gesnerus Antonianam collectionem ediderit.

Millerus in catalogo codicum manu scriptorum bibliothecae Escorialensis 'catalogum' edidit (inde a pag. 511) 'praecipuorum auctorum ineditorum graece mss., qui in bibliotheca Scorialensi asservantur' a Barvoetio scriptum anno 1647. Hic codicis mentionem facit, in quo sint Antonii Monachi et Abbatis Asceticarum admonitionum capita 160, adiciens: 'Forte eadem cum Melissa.' Utrum Barvoetius hac in re verum viderit necne, nunc diiudicari non potest; nam codex iste nunc in bibliotheca Escorialensi non est. Fortasse incendio illo periit, quo anno 1671 bibliothecae Escorialensis partem consumptam esse constat.

Iam transeamus ad describendos codices eos, qui Maximi sermones exhibere dicuntur et re vera exhibent. Ac primum quidem de tribus codicibus bibliothecae Mediceae Laurentianae verba faciamus, quos accuratius cognoscere licuit cum e Bandinii praeclaro graecorum bibliothecae illius codicum catalogo tum e viri humanissimi Augusti Wilmannsii epistula, quam Florentia ad me miserat. Quem cum commendante Ritschelio, praeceptore clarissimo, precibus adiissem, ut capita 11 et 15 editionis Combefisianae cum codicis Laurentiani XI 14 meum in usum conferret, tanta eius fuit liberalitas, ut capita illa non cum hoc tantum codice, sed cum

reliquis quoque duobus compararet et multa adiceret, quae novisse magni mea interesse ingeniose intellexerat.

E tribus codicibus Laurentianis eum, qui plut. XI est 14, Bandinius describit catalogi sui vol. I pag. 510 (quem codicem littera A notatum volo). Membranaceus est, formae, quam dicunt, 12. Minutis sed perspicuis litteris scriptus est, quarum genus cognoscas e specimine, quod Bandinius proposuit pag. 516 tab. 7 nr. 7. Et hic quidem vir doctus saeculo XI eum exaratum esse censet, cum Val. Rosius in Aristot. pseudoepigr. p. 607 saeculo XII eum tribuat. Pag. 1 index est capitum, cuius initium oblitteratum esse Wilmannsius refert, item inde a capite 30 (περὶ μέθης) numeros capitum titulis appositos esse. Capitum inscriptiones eaedem sunt, quas habes in Gesneri editione a primo capite usque ad 71, sed deinde quattuor capita secuntur, quae nec in Gesneriana nec in Combefisiana editione exstant, sic inscripta: ΟΒ περὶ τῶν ἡσυχαζόντων καὶ ἐν βίῳ διαγόντων:· — ΟΓ περὶ πειρασμῶν:· — ΟΔ περὶ τοῦ πῶς νοητέον τὸ οὐκ ἔστιν ἐν ἀνθρώποις βέλτιον. εἰ μὴ ὃς φάγεται καὶ πίεται. καὶ δείξει τῆι ψυχῇ αὐτοῦ ἀγαθὸν ἐν μόχθῳ αὐτοῦ:·— ΟΕ περὶ τοῦ ὅτι οὐδὲν δύσκολον ἐπέταξεν ὁ θεός:· —

Haec quattuor capita Wilmannsius (tantum eius in me fuit officium) paene tota transcripta ad me misit, vidique ex eius epistula horum capitum rationem longe aliam esse ac totius sylloges reliquorum. Nam cum in his singulis sententiis semper nomina eorum, a quibus profectae sunt, adscripta legantur, et ubi eiusdem scriptoris aliae subiunguntur primae, cui nomen ipsum adscriptum est, semper in margine adponatur τοῦ αὐτοῦ, in quattuor extremis capitibus perpauca apparent lemmata nomina scriptorum indicantia (in 73 et 74 omnino nullum invenitur), τοῦ αὐτοῦ autem illud bis tantum legitur, in capite 72. Praeterea haec capita extrema eo quoque nomine a reliquis discrepant, quod sententiae a profanis scriptoribus adscitae omnino nullae in iis afferuntur; tota e sententiis composita sunt aut e sacra scriptura aut e scriptoribus ecclesiasticis, qui dicuntur, desumptis. Denique capitibus 73, 74, 75 in libro ipso numerus non adpositus est. His de causis dubito, num ea omnino ad Maximi opus pertineant, cuius sententiae plura etiam argumenta infra afferentur. Leguntur haec capita inde a folio 162^{r} usque ad 164^{v}, fol. 165^{r} alterum codicis opus sequitur Τὰ κατὰ Στεφανίτην καὶ Ἰχνηλάτην inscriptum.

Codicum Laurentianorum alter est plut. VII cod. 15, quem littera B notabimus; conferas de eo Bandinii catal. vol. I p. 252. Membranaceus est formae, quam dicunt, quadratae minoris, scriptus saeculo XI; foliis constat 252, 11 tamen postremae paginae manu saeculi XV suppletae sunt. Codex quattuor comprehendit opera, quorum primum est Ioan. Chrysostomi homilia, alterum sententiarum seu definitionum collectio ἀνεπίγραφος et ἀκέφαλος. Hanc excipiunt Γνῶμαι συλλεγεῖσαι ὑπὸ κυρίου μονάζοντος τοῦ Γεωργιδίου*), a pag. 103^{v} Maximi sylloge incipit, cuius

*) Eandem sententiarum collectionem e codice regio Parisino Boissonadius edidit in anecdotorum vol. I.

capita Bandinius enumerat. Eadem sunt, quae habes in Gesneriana editione, idemque, qui in illa, eorum est ordo. Sed praeter 71 capita Gesneriana hic eadem quattuor exstant, quae in codice Laur. A inveniuntur. Iam vero extrema pars codicis Laur. B inde a capitis 66 verbis ὅταν αὐτῶν γνώμεθα (sic) κύριοι. Ἐλύπησέ τις κτέ. (quae verba in edit. Combef. leguntur p. 681) saeculo XV scripta est, et Wilmannsius refert quattuor postrema codicis B capita prorsus cum codicis A congruere, ita ut lacunam etiam quattuor versuum, quae sit initio capitis 72, in utroque codice pariter deprehendatur. His de causis extremae codicis B partis scriptorem codice A usum esse conicio. Bandinius praeterea commemorat capitis alterius finem et initium tertii, quod videatur inscriptum fuisse περὶ ἁγνείας καὶ σωφροσύνης, 'ob unius, aut alterius paginae defectum' desiderari, item 19 partem 'propter unius, aut fortasse plurium paginarum defectum in codice'.

Tertius codicum Laurentianorum plutei VIIII est 29 *), quem littera C notare liceat. Bombycinus est formae, quam dicunt, quadratae. Bandinius eum saeculo XIII exaratum esse censet, Wilmannsius saeculo XIIII. Constat foliis 107, sed vetustate valde consumptus est et mutilus. Incipit a capite 6 περὶ φίλων καὶ φιλαδελφίας. Proximorum capitum tituli saltem cum Gesnerianae editionis concordant, capitis autem 47 partem Bandinius deesse narrat 'inter pagg. 87 et 88 unius fortasse folii abscissione; quemadmodum etiam inter pag. 104 et 105 extrema capitis 61 (περὶ ἀσωτίας) et prima sequentis περὶ συνηθείας καὶ ἤθους folio item abscisso desiderentur'. Desinit codex in capite 66 περὶ ἀκακίας καὶ μνησικακίας, quod caput multo brevius esse Wilmannsius dicit quam in editione Combefisiana.

Iam velim lectores humanissimi conspectum perlustrent in calce adiectum. Confeci eum ex iis, quae Wilmannsius ex Italia ad me misit, speroque satis perspicue eo ostentum iri, quibus in rebus (in 11 et 15 scilicet capite) codices Laurentiani cum editione Combefisiana (et inter se) aut congruant aut ab ea discrepent. Quo in conspectu o nota indicatum volui sententiam deesse, lineola tali — et nota κτέ. verba sententiae cuiusque, quae omissa sunt, aut cum editionis Combefisianae verbis concordare aut cum codicis eius, e quo transscripta est tota sententia.

*) cf. Bandinii catal. vol. I pag. 440.

Sententiae capitis XI, quae non leguntur nisi in bibl. Laur. plut. VIIII cod. 29:

Ὥσπερ οἱ θηρεύοντες — ἀλλ᾽ ἕτερόν τι πράττειν: ~ fol. 25r
Ὥσπερ[1]) εἴ τις ἀνθρώπου φύματα καὶ συρίγγας
ἔχοντος ὀστρικῶς μιλίω (β?) τὰς τρίχας τέμνοι. καὶ τοὺς
ὄνυχας· οὕτως οἱ κόλακες τὴν παρρησίαν πρὸς τὰ
μὴ λυπούμενα μέρη μὴδὲ ἀλγοῦντα προσφέρουσι
Ου δύνασαι μοι καὶ φίλω χρῆσθαι καὶ κόλακι· τουτέστι
φιλω καὶ μὴ φίλω. συνεργεῖν γὰρ δεὶ τῶ φίλω· καὶ
συμπανουργεῖν· καὶ συμβουλεύειν· καὶ συμαρτυρεῖν μὴ
συνεξαπατᾶν καὶ συνατυχεῖν νὴ δία· μὴ συναδικεῖν·
εἰ γὰρ τὸ συνειδέναι τοῖς φίλοις τὰ αἰσχρὰ φαῦλον: [αὐτοῦ
πόθεν γε δὴ τὸ συμπράττειν και συνασχημονεῖν αἱρετόν ἐστιν. τοῦ
ἐκ τοῦ πῶς δεῖ διακρίνειν τοὺς κόλακας τοῦ φίλου: ~
εἰ μὲν οὖν ὡς τα πλεῖστα τῶν ἄλλων κακῶν ὁ κόλαξ ἥπτετο
μόνον. ἢ μάλιστα τῶν ἀγενῶν καὶ φαύλων· οὐκ ἄν ἦν
οὕτως τὰ φιλότιμα τῶν ἠθῶν καὶ χρηστὰ· καὶ ἐπι
εικῆ, τὸν κόλακα δέχεται καὶ τρέφει προσφυόμενον: ~
Ὁρῶμεν τὴν κολακειαν οὐ πένησιν οὐδὲ ἀδόξοις οὐδὲ
ἀδυνάτους ἀκολουθοῦσαν· ἀλλ᾽ οἴκων τε καὶ πραγμάτων
μεγάλων ὀλίσθημα γινομένην. πολλάκις δὲ καὶ fol. 25v
ἡγεμονίας καὶ βασιλείας ἀνατρέπουσαν. διὸ
οὐ μικρὸν ἔργον ἐστὶν· οὐδὲ φαύλης δεομενον προνοίας
ἡ περὶ αὐτῆς ἐπίσκεψις. ὡς ἂν μάλιστα ἐπίφωρος οὖσα.
μὴ βλάπτη μηδὲ μηδὲ διαβάλλοι τὴν φιλίαν. οἱ μὲν γὰρ
φθεῖρες ἀπίασιν ἀπὸ τῶν τελευταίων· καὶ ἀπολείπουσι
τὰ σώματα· σβεννυμένου τοῦ αἵματος ἐξ οὗ τρέ
φονται. τοὺς δὲ κόλακας οὐδ᾽ ὅλως ἐστὶν ἰδεῖν πράγμασι
ξηροῖσι καὶ κατεψυγμένοις προσιόντας. ἀλλὰ ταῖς δόξαις
καὶ ταῖς δυνάμεσιν ἐπιτίθενται. καὶ αὔξονται
ταχύ δ᾽ ἕν ταῖς με ἀπορρέουσιν: ~ καθάπερ ὁ
εὔηνος εἶπε τῶν ἡδυσμάτων τὸ πῦρ εἶναι κράτιστον
οὕτως τῶ βίω τὴν φιλίαν μίξας ὁ θεὸς ἅπαντα φαιδρὰ
καὶ γλύκεα καὶ προσφιλῆ ταύτης παρούσης

---

1) Litterae lineola distinctae in codice rubro colore pictae sunt. Et scripturas et versus servavi, quales sunt in codice.

καὶ cυναπο λαυούcης ἐποίηcεν· ἐπεὶ πῶc ἂν ὁ κόλαξ ὑποδύετο ταῖc ἡδοναῖc· εἰ τὴν φιλίαν ἑωρα
(η *ex* ον *corr. m. 1*)
τὸ ἡδὺ μηδαμοῦ προcιεμένην· οὐκ ἔcτιν εἰπεῖν. ἀλλ᾽ ὥcπερ τὰ ψευδόχρυcα καὶ τὰ κίβδηλα· τὴν λαμπρότητα τοῦ χρυcοῦ καὶ τὸ γάνωμα μιμεῖται μόνον· οὕτωc ἔοικεν ὁ κόλαξ τοῦ φίλου τὸ ἡδὺ καὶ κεχαριcμένον ἐκ μιμούμενοc ἀεὶ παρέχειν ἱλαρὸν καὶ ἀνθηρὸν καὶ πρὸc μηδὲν ἀντιβαίνοντα μηδ᾽ ὑπεναντιούμενον ἑαυτόν· ὅθεν οὐδὲ τοὺc ἐπαινοῦνταc εὐθὺc ὡc κολακεύονταc ἁπλῶc ὑφορατέον· ἔπαινοc γὰρ οὐχ ἧττον ἐν καιρῷ ψόγου· φιλία προcήκει.
*)Ὥcπερ ὁ πλάτων ἐcχάτηc ἀδικίαc εἶναι δοκεῖν [cαν
fol. 26r δίκαιον μὴ ὄντα. καὶ κολακείαν ἡγητέον χαλεπόν. τὴν λανθάνου- οὐ τὴν ὁμολογοῦcαν. οὐδὲ τὴν παίζουcαν· ἀλλὰ τὴν cπου δαζουcαν· αὕτη γὰρ καὶ τὴν ἀληθινὴν φιλίαν ἀπιcτίαc ἐμπίπληcι· cυνεμπίπτουcα αὐτῇ πολλάκιc ἂν μὴ προcέχωμεν (ω *corr. ex* ο)· ὥcπερ οἶμαι τῶν οἰκειω cπερμάτων ὅcα καὶ cχῆμα καὶ μέγεθοc παραπλήcιον ἔχοντα τῷ πῦρι cυμέμικται χαλεπὴν ἔχει τὴν ἀποκάθαρcιν· ἢ γὰρ οὐδὲ ἐκπίπτει τῶν cτενοτάτων πόρων ἢ cυνεκπίπτει διὰ τῶν ἀραιῶν· οὕτωc ἡ κολακεία τῆc φιλίαc εἰc πᾶν πάθοc καὶ πᾶν κίνημα· καὶ χρείαν καὶ cυνήθειαν ἑαυτὸν καταμιγνύουcα δυcχωριcτόc ἐcτιν: ~

*) *Hic versus a m. 1 in ras. scriptus est.*

In capite XV post sententiam ἄφωνον — λόγου haec habet cod. VIIII 29:

fol. 35r Τὸ λαλεῖν ἃ χρὴ, τοῦ ἀκούειν οὐκ ἀτιμότερον: Οὐ γὰρ ὁ ἐν λόγω cοφὸc, οὗτοc ἐμοὶ cοφὸc οὐδ᾽ ὅcτιc γλῶccα μὲν εὔcτροφον ἔχει. ψυχὴν δὲ ἄcτατον καὶ ἀπαίδευτον: ἀλλ᾽ ὅcτιc ὀλιγα μὲν περι ἀρετῆc φθέγγεται· πολλὰ δὲ οἷc ἐνεργεῖ, παραδείκνυcι· καὶ τὸ ἀξιόπιcτον τῷ λόγω, διὰ τοῦ βίου προτίθηcι: βέλτιον τὰc ἑαυτῶν (*haec sententia prima est pag. 579 ed. Comb., prosus congruit cum verbis edit. Comb.*)

fol. 36r — ἀπαίδευτον: Οὐ γὰρ *i. m.*
in marg. μὴ κακὸν εἶναι δεῖ μόνον τὸν μέλλοντα τοὺc ἄλλουc πρὸc ἀρετὴν παιδευειν ἐπιχειροῦντα, τοῦτο γὰρ καὶ τῶν ὑπὸ χεῖρα τοῦc
πολλο (*sic*) αἴcχιcτον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀγαθῶν διαφεροντα· τῷ ἀγαθῷ κατὰ τὴν ἐκκλίνειν ἀπὸ κακοῦ καὶ ποιεῖν ἀγαθὸν κελεύ ουcαν ἐντολήν οὐδὲ τοὺc φαύλουc ἐξαλεῖψαι τῆc ψυχῆc τύπουc μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺc ἀμείνουc ἐγγράψαcθαι. ὡc πλέον κατ᾽ ἀρετὴν προέχειν, ἢ ὁπόcον περιέcτιν

ἀξιώματι· καὶ μηδὲν μετρον εἰδέναι τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἀναβάσεως· μὴ δὲ κέρδος μᾶλλον τὸ κρατηθὲν ἢ ζημίαν τὸ διαφεῦγον ἀλλ᾽ ἐπίβασιν ἀεὶ ποιεῖσθαι τὸ ἐν ποσὶ τοῦ ἑξῆς: ὁδὸν πατεῖν ἀμεινον τὴν λείαν καὶ τετριμμένην, ἢ ἀτριβῆ καὶ τραχεῖαν· καὶ γῆν ἀροῦν, ἣν πολλάκις ἄροτρον ἔτεμε καὶ ἡμέρωσε ψυχὴν δὲ γράφειν ἣν οὔπω λόγος ἐχάραξε μοχθηρὸς οὐδὲ εἰς βάθος τὰ τῆς κακίας ἐνεσημάνθη γράμματα: ∼

Τότε μάλιστα[1]) — παραδείγματα: [2])

Ὁ μὲν γὰρ τοῖς προσέχουσι λέγων, ἔχει παραμυθίαν τοῦ λέγειν τὴν πειθὼ τῶν ἀκροωμένων· ὁ δὲ συνεχῶς λέγων καὶ μὴ ἀκουόμενος, εἶτα οὐ παυόμενος τοῦ λέγειν, πλείονος ἂν εἴη τιμῆς ἄξιος διὰ τὸ τῷ θεῷ δοκοῦν. καὶ μηδένος προσέχοντος τὸ αὐτοῦ πᾶν πληρῶν: ∼

ἔστι γὰρ καὶ μετριαζοντα τινὰ ἀκαίρως, βλάψαι καὶ λέγοντά τι περὶ αὐτοῦ θαυμαστὸν, ὠφελῆσαι: βελτιον ἀγνοῆ καλῶς ἢ μανθάνειν κακῶς ὁ μὲν γὰρ εἰδὼς τὴν αἰτίαν
ον (*ex* ἤξειν *corr. m. 1*)
ταχεως ἐπὶ εὐ??? ἥξει ὁ δὲ ἐπειδὴ τὴν οὖσαν οὐκ οἶδεν, fol. 36v
οὖσαν πλάττων, οὐ δυνήσεται ῥαδίως τὴν οὖσαν δέ ης
ξασθαι:· βουλοιμην δ᾽ ἂν ἐγὼ τῶν ἀγαθόν τι λεγόντων νύσς:
ἀκούειν μᾶλλον, ἢ αὐτὸς λέγειν. τῷ παντὶ γὰρ εὐτυχέστερον ἀμείνοσιν ἐντυγχάνειν, ἢ χείροσιν: ἡ τοιαύτη δύναμις καὶ ἐπιχείρησις ὅμοια δοκεῖ τῇ τῶν γεωργῶν ἐμπειρία περὶ τὰ φυτὰ ἐὰν περὶ καλῶς γίγνηται ἐκεῖνοι τε γὰρ τοῖς ἀκάρποις καὶ ἀγρίοις ἐνθέντες καὶ ἐμφυτεύσαντες τὰ ἥμερα καὶ καρποφόρα χρήσιμον ἀντὶ ἀχρήστου καὶ ὠφέλιμον ἀντὶ ἀνωφελοῦς ἀπέδειξαν τὸ φυτόν. οὕτω δὴ καὶ τοῖς ἀνωφελέσι μυθευμασι λόγος ἐμβληθεὶς χρήσιμος· καὶ συμφέρων οὐδὲν ἐκεῖνα εἴασε, μάτην λέγεσθαι: ∼

περισσὸς πᾶς λόγος. (*ut in ed. C. p. 579 v. 20 ss., sed* ὅταν ὁ ἡ τῶν ἀκου.) — ἐναντίως διάκειται. [3])

κατόπτροις ἐοίκασιν οἱ λόγοι. καὶ ὥσπερ ἐν ἐκείνοις ὁ τοῦ σώματος καὶ τῆς μορφῆς ἐμφάνιζεται τύπος· οὕτως ἐν ταῖς ὁμιλίαις τὸ τῆς ψυχῆς εἶδος χαρακτηριζόμενον καθορᾶται. [4])

τότε ἀνύει[5]) — διδάσκειν.

βίος ἄνευ λόγου μᾶλλον ὠφελεῖν πέφυκεν, ἢ λόγος ἄνευ βίου. ὁ μὲν γὰρ καὶ σιγῶν ὠφελεῖ. ὁ δὲ βοῶν ἐνοχλεῖ. οἱ δὲ καὶ βίος καὶ λόγος συνδράμοιεν φιλοσοφίας ἁπάσης ἀποτελοῦσιν ἄγαλμα: ∼ [6])

Τὰ πράγματα λόγων οὐ χρήζει. αὐτὰ [7])

---

1) ut in ed. Comb. p. 579 v. 12 ss., sed τῶν διδασκάλων. 2) in marg. -οῦ χρυσοστόμου. 3) in m. Νείλου. 4) in m. φῶ π̄ραρχου. 5) τότε ἀνύει κτέ. ut in ed. Comb. p. 579 v. 24 ss., in m. adscriptum est lemma διδύμου. 6) in m. adscriptum legitur: ἰσιδωρου διοδρ τοῦ πηλοσιῶ. 7) in m. τοῦ αὐτοῦ.

γὰρ εἴcι φαινόμενα οἱ λόγοι δὲ μᾶλλον γενέcθαι
fol. 37r τὰ πράγματα δέονται· καὶ αὐτοὶ εἰcεμνότατος ἔχονται: ~ πράττε
λογικῶc καὶ λέγε πρακτικῶc: ~ χρὴ τοὺc μαθητευομένους
καὶ ὡc πατέρας φιλεῖν τοὺc ὄντας διδαcκάλουc· καὶ ὡc ἄρχοντας
δεδοικέναι, καὶ μήτε διὰ τὴν ἀγάπην ἐκλύει τὸν φόβον,
μήτε διὰ τὸν φόβον ἀμαυροῦν τὴν ἀγάπην: ~ Τὰ μὲν [1])
ἀγγεῖα πρὸc τὴν ὑποδοχὴν τῶν ἐγχεομένων ἐγκλίνομεν [2])
καὶ cυνεπιcτρέφομεν. ἵν᾽ ἔγχυcιc ὡc ἀληθῶc, καὶ μὴ
λ *ex* τ *corr. m. 1*
ἔκχυcιc γένηται. αὐτὸ δὲ τὸ τῷ λέγοντι παρέχειν καὶ cυναρ
τ *ex* ν *corr. m. 1.*
μόττειν τῇ προcοχῇ τὴν ἀκρόαcιν ὡc μηδὲν ἐκφυγεῖν
τῶν χρηcίμωc λεγομένων, οὐ μανθάνομεν: τὸ ἀντειπεῖν
οὐ χαλεπὸν ἀλλὰ καὶ πάνυ ῥάδιον εἰρημένῳ λόγῳ. τὸ δὲ
ἕτερον ἀνταναcτῆcαι βέλτιον, παντάπαcιν ἐργῶδεc.
ὥcπερ ὁ λακεδαιμόνιοc, ἀκούcαc ὅτι φίλιπποc
ὄλυνθον κατέcκαψεν, ἀλλ᾽ οὐκ ἀναcτῆcαι γε τοιαύτην ἔφη
πόλιν ἐκεῖνοc ἂν δυνηθείη: εἰ μετὰ τὴν ἀκρόαcιν
ἐπίcκεψιν ποιεῖcθαι τῆc περὶ αυτὸν διαθέcεωc. ἀναλο-
γιζόμενον εἴ τι τῶν παθῶν γέγονε μαλακώτερον· εἴ τι
τῶν ἀνιαρῶν κουφότερον· οὐ γὰρ ἐκ κορείου μὲν ἀνα-
cτάντα δεῖ τῷ κατόπτρῳ παραcτῆναι τῶν τριχῶν
ἐπιcκοποῦντα καὶ τῆc κουρᾶc τὴν διαφορὰν
ἐκ δὲ ἀκροάcεωc ἀπίοντα καὶ cχολῆc, οὐκ εὐθὺc ἀφορᾶν
χρὴ πρὸc ἑαυτὸν καταμανθάνοντα τὴν ψυχὴν εἴ τι
τῶν ὀχληρῶν ἀποθεμένη, καὶ περὶ τιῶν, ἐλα
φροτερα γέγονε καὶ ἡδίων· οὔτε γὰρ βαλανείου φηcὶν
ἀρίcτων οὔτε λόγου μὴ καθαίροντοc· ὄφελοc ἐcτιν: ~
εἰ μὲν μὴ παντάπαcιν ἡδονὴν ἐχούcηc καὶ πιθανότατα
λέξεωc παραμελεῖν· ἀλλ᾽ ὅμωc ἐλάχιcτα τούτου φρουτι
cτέον ἐcτὶ. τόγε πρότερον καθάπερ οἱ πίνοντεc ὅταν παύcωνται
fol. 37v διψῶντεc, τότε τὰ τορεύματα τῶν ἐκπωμάτων ὑποθεωροῦcι
καὶ cτρέφουcιν· οὕτωc ἐμπληcθέντι δογμάτων, καὶ ἀνα
πνεύcαντι, δοτέον τὴν λέξιν εἴ τι κομψὸν ἔχει καὶ περιττὸν
ἐπιcκοπεῖν. ὁδ᾽ εὐθὺc ἐξ ἀρχῆc μὴ τοῖc πράγμαcιν ἐμφυόμενοc
ἀλλὰ τὴν λέξιν ἀξιῶν [3]) εἶναι καὶ ἰcχυρὰν, ὁμοίοc ᾽cτι
τῷ μὴ βουλομένῳ πιεῖν ἂν μὴ τὸ ἀγγεῖον ἐκ τῆc ἀττικῆc
κωλιάδοc κεκεραμευμένον. μηδὲ ἱμάτιον περιβάλλεcθαι
χειμῶνοc, εἰ μὴ προβάτων ἀττικῶν εἴη τὸ ἔργον. ὥcπερ
τὰ δένδρα τὰ καλῶc φέροντα καρποὺc πρὸ τῶν καρπῶν καὶ ἐκ
τῶν φύλλων δυνατόν ἐcτι κατανοεῖν, οὕτωc ἐκ τῶν λόγων πρὸ
τῶν ἔρων καὶ οἱ πλεῖcτοι τῶν ἀνθρώπων διαγινώcκονται. ὡc γὰρ
τὸ cπέρμα τῶν πρὸc τὰc cυνουcίαc ἀκολάcτων ἄγονον ὡc [νὸν
τὰ πολλὰ καὶ ἄκαρπον ἔcτιν, οὕτωc ἡ πρὸc τὸ λαλεῖν ἀκραcία, κε-

1) in m. πλουτάρχου. 2) in m. cημειῶcαι per notam et ὅλον χρη-
cιμώτατον. 3) in m. ἀττικὴν inseritur post ἀξιῶν.

τὸν λόγον ποιεῖ καὶ ἀνόητον. κλεάνθης καὶ ξενοκράτης βραδύτεροι δοκοῦντες εἶναι τῶν συσχαλαστῶν· καὶ ὀνειδιζόμενοι, ἀγγείοις βραχυστόμοις ἀπείκαζον ἑαυτοὺς[1]) ἀσφαλῶς δὲ καὶ βεβαίον τηροῦντες. ~ δεῖ τὸ πολὺ καὶ κενὸν ἀφαιροῦντα τῆς λέξεως αὐτὸν διώκειν τὸν καρπὸν, καὶ μιμεῖσθαι μὴ τὰς στεφηπλόκους, ἀλλὰ τὰς μελίσσας. αἱ μὲν γὰρ ἐπιοῦσαι τὰ ἀνθηρὰ καὶ εὐώδη τῶν φύλλων συνείρουσι καὶ διαπλέκουσιν· ἡδὺ μὲν ἐφήμερον δὲ καὶ ἄκαρπον ἔργον. αἱ δὲ πολλακις ἴων καὶ ῥόδων καὶ ὑακίνθων διαπετόμεναι λειμῶνας, ἐπὶ τὸν τραχύτατον καὶ δριμύτατον θύμον καταίρουσι. καὶ τούτω προσκάθηνται ξανθὸν μέλι μησόμεναι· καὶ λαβοῦσαι τι τῶν χρησίμων ἀποπέτονται πρὸς τὸ οἰκεῖον ἔργον. οὕτω δεῖ δὴ τὸν φιλότεκνον καὶ
καθαρὸν
ἀκροατὴν τὰ μὲν ἀνθηρὰ καὶ τρυφερὰ τῶν ὀνομάτων καὶ τῶν πραγμάτων τὰ δραματικὰ καὶ πανηγυρικὰ κηφόνον βα-
τανων
σοφιστιώντων ἡγούμενον, ἐαν· αὐτὸν δὲ τῇ προσεχῇ καταδυόμενον εἰς τὸν νοῦν τοῦ λόγου, καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ λέγοντος ἕλκειν ἀπ᾽ fol. 38r
αὐτῆς
τὸ χρήσιμον· καὶ ὠφέλιμον: ὡς γὰρ ὁ τῇ κλείδι τὰ ξύλα σχίζειν πειρώμενος· καὶ τῇ ἀξίνῃ τὴν θύραν ἀνοίγειν, οὐκ ἐκεῖνα δόξειεν ἂν ἐπηρεάζειν· ἀλλ᾽ αὐτὸν ἀποστερεῖν τῆς ἑκατέρου χρείας
ras. 2 litt. (in rasura ὧν *fuit)*
καὶ δυνάμεως, οὕτω ... οἱ παρὰ τοῦ λέγοντος, ὃ μὴ πέφυκε μὴ δὲ ἤσκηκεν αἰτοῦντες. ὃδ᾽ ἔχει καὶ δίδωσι μὴ δρεπόμενοι μή δε λαμβάνοντες, οὐ τοῦτο βλάπτονται μόνον. αλλὰ κακοήθειαν καὶ δυσμένειαν προσοφλισκάνουσιν. Οἱ διδάσκοντες μηδὲν, μὴδὲ ὑποτιθέμενοι προτρεπόμενοι δὲ μανθάνειν ὅμοιοι εἰσι τοῖς τοὺς λύχνους προσμύττουσιν ἔλαιον δὲ μὴ ἔχοντες. τινὸς δημοσθένους ἀνδρὸς ἀκολάστου γνώμην ἁρμόζουσαν ἐν λακεδαίμονι εἰπόντος, ἀπέρριψεν ὁ δῆμος. οἱ δὲ ἔφοροι κληρώσαντες ἕνα τῶν γερόντων ἐκέλευσαν εἰπεῖν τὸν αὐτοῦ λόγον, ἐκεῖνον. ὥσπερ εἰς καθαρὸν ἀγγεῖον ἐκ ῥυπαροῦ μετακεράσαντες. ὅπως εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς[2]) πολλοῖς: Οὔτε γὰρ διδασκαλίαν ἄνευ φύσεως, ἢ ἀσκήσεως τελειωθῆναι δυνατὸν, οὔτι φύσις ἐπὶ πέρας ἐλθεῖν ἐστὶν
corr. ex διδα
ἱκανὴ, διὰ τοῦ μαθεῖν καὶ ἀσκῆσαι· οὔτε ἄσκησις, εἰ μὴ προσθεμελιωθῇ φύσει καὶ διδασκαλία ὥσπερ [3])
τοῦ ἵππου τὸ χρεμετίσαι καὶ τὸ ὑλακτεῖν κυνὸς καὶ βοὸς τὸ μυκᾶσθαι, καὶ τὸ ὠβύεσθαι λέοντος, οὕτως καὶ ἀνθρώπου τὸ λέγειν· καὶ αὐτὸς ὁ λόγος. αὐτὸ γὰρ ἔρυμα· περίβλημα πανοπλία τεῖχος τὸ ζῶον τουτὶ τὸ θεοφιλέστατον ὁ ἄνθρωπος ἐκ
πάντων

---

1) in m. post ἑαυτοὺς inseritur: ὡς μόλις μὲν προσδεχόμενοι τοὺς λόγους. 2) in m. δίλωνος. 3) in m. τοῦ αὐτοῦ.

ἴδιον ἔχει: Οὔτε αὐτηρὸς ἄνος εἰς πόσιν εὔθετος, οὔτε ἄγροικος τρόπος εἰς ὁμιλίαν. ἐστιώμενος ποτὲ [1] ἰσοκράτης παρὰ νικοκρέοντι, τῷ κυπρω τυράννω, προτρε πομένων αὐτὸν τῶν παρόντων, διαλεχθῆναι, ἔφη· ἐν οἷς μὲν ἐγὼ δεινὸς, οὐχ ὁ νῦν καιρὸς, ἐν οἷς δὲ ὁ νῦν καιρὸς, οὐκ ἐγὼ
fol. 38v δεινός: διογένης ὁ κύων λέγειν ποτὲ κωλυόμενος ὑπὸ ἀθηναίων ἐν ἐκκλησίᾳ, βραχὺ ἔφη βούλεσθαι πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν τι τῶνδε σιωπησάντων, νεανίας εἶπε θέρους ὥρᾳ ἐμισθώσατο ἐξ ἄστεος ὄνον· μεσούσης δὲ τῆς ἡμέρας καὶ σφοδρῶς φλέγοντος τοῦ ἡλίου ἑκάτερος αὐτῶν ἐβούλετο ὑποδύεσθαι ὑπὸ τὴν σκιὰν τοῦ ὄνου. καὶ εἶργον ἀλλήλοις· ὁ μὲν μεμισθωκέναι ὄνον, οὐ τὴν σκιὰν λέγων· ὁ δὲ μεμισθωμένος τὴν πᾶσαν ἔχει ἐξουσίαν καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἀπῄει· τῶν δὲ ἀθηναίων ἐπισχόντων καὶ δεομένων πέρας ἐπιθεῖναι τῷ λόγω, εἶθ᾽ ὑπὲρ μὲν ὄνου σκιᾶς βούλεσθε ἀκούειν· λέγοντος δὲ ὑπὲρ σπουδαίων πραγμάτων, οὐ βούλεσθε: ~ ψάλτην δέ τινα [2] βουλομένου παραδεῖπνον ἐπανορθοῦν αὐτοῦ καὶ λαλεῖν περὶ κρουμάτων, ὁ ψάλτης εἶπε γένοιτό σοι ὦ βασιλεῦ κακῶς οὕτως. ἵνα ταῦτα ἐμοῦ βέλτιον εἴδῃς. τὰ συμβουλεύοντα πάντα καὶ τῶν ποιημάτων καὶ τῶν [3] συγγραμάτων, χρησιμώτατον μὲν ἅπαντες νομίζουσι· οὐ μὴν ἥδιστά γε αὐτῶν ἀκούουσιν· ἀλλὰ πεπόνθασι ὅπερ πρὸς τοὺς νοθετοῦντας· καὶ γὰρ ἐκείνους μὲν, ἐπαινοῦσιν ἅπαντες· πλησιάζειν δὲ, οὐ βούλονται· ἀλλὰ μᾶλλον αἱροῦνται πλησιάζειν τοῖς συνεξαμαρτάνουσιν, ἀλλ᾽ οὐ τοῖς ἀποτρέπουσιν: ὁ γὰρ εἰς τὸ μὴ πλεχοὶν ἔπειξις τοῦ [4] λόγου, τὸ ὁλόκληρον τῶν ἤδη λεχθέντων, παραιρεῖται: ἐκ [5] ἐπειδὰν ἡμεῖς τελευτήσωμεν καὶ οἱ λόγοι ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν σεσιγήσονται. ὥστε, ἐπιμελητέον αὐτῶν ἐστιν. ἀνάγκη γὰρ ὡς ἔοικε μέλειν ἡμῖν καὶ τοῦ ἔπειτα χρόνου· ἐπειδὴ καὶ τυγχάνουσι κατά τινα φύσιν οἱ μὲν ἀνδραποδέστατοι οὐδὲν φροντίζοντες, αὐτοῦ· οἱδ᾽ ἐπι εικέστατοι, πᾶν ποιοῦντες, ὅπως ἂν εἰς τὸν επειτα χρόνον,
fol. 39r εὖ ἀκούωσιν· ὃ δὴ καὶ ἐγὼ τεμήριον ποιοῦμαι· ὅτι ἔστι τις αἴσθησις τοῖς τεθνεῶσι τῶν ἐνθάδε. αἱ γὰρ βέλ τιστοι ψυχαὶ μαντεύονται, αἱ δὲ μοχθηρόταται οὔ φασι κυριωτερα δὲ τὰ τῶν θείων ἀνδρῶν μαντεύματα ἢ τὰ τῶν μή. Ὥσπερ τῶν ἐν μέτρῳ πεποιημένων ἐπῶν τοὺς μὴ μελετῶντας, ἐπιλανθανομένους οἶδα, οὕτω καὶ τῶν διδασκαλικῶν λόγων τοῖς ἀμελοῦσι λήθην ἐγγιγνομένην· ὅταν δὲ τῶν νουθετητικῶν λόγων ἐπιλαθηταί τις ἐπιλέλησται καὶ ὧν ἡ ψυχὴ πάσχουσα, τῆς σωφροσύνης ἐπιθυμεῖ. τούτων δὲ

1) in m. τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ βίου τῶν δέκα ῥητόρων 2) in m. φιλίπου βασιλ. 3) in m. ἰσοκράτους. 4) in m. χαρικλείας. 5) in m. ἐκ τῶν πλάτωνος ἐπιστολῶν.

ἐπιλαθόμενον οὐδὲν θαυμαστὸν καὶ τῆς ϲωφροϲύνης ἐπιλαθέϲθαι. καὶ γὰρ καὶ τοὺϲ εἰϲ φιλοποϲίαν προαχθένταϲ καὶ τοὺϲ εἰϲ ἔρωταϲ ἐγκυλιϲθένταϲ ἧττον δυναμέϲουϲ τῶν δεόντων ἐπιμελεῖϲθαι, καὶ τῶν μὴ δεόντων ἀπέχεϲθαι. ἐ πειδὴ τοῖϲ υἱοῖϲ οἱ πατέρεϲ κἂν ὦϲι ϲώφρονεϲ, ὅμωϲ ἀπὸ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων εἴργουϲιν ὡϲ τὴν μὲν χρηϲτῶν ὁμιλίαν ἄϲκηϲιν οὖϲαν τῆϲ ἀρετῆϲ. τὴν δὲ τῶν πονηρῶν κατάλυϲιν

ϵ *ex* ο *corr. m. 1*

ἐϲθλῶν μὲν γάρ φηϲιν ἀπεϲθλὰ διαδέξεαι· ἢν δὲ κακοῖϲι ϲυμμιγῆϲ, ἀπολεῖϲ καὶ τὸν ἐόντα νόον: τὰ μὲν ϲώματα τοῖϲ ϲυμμέτροιϲ πόνοιϲ· ἡ δὲ ψυχὴ τοῖϲ ϲπουδαίοιϲ λόγοιϲ, αὔξεϲθαι πέφυκεν: ἐν μὲν τοῖϲ ἐϲόπτροιϲ κτέ. [1]

1) in m. δημοκρίτου.

Primo obtutu unus quisque videt, quam variae inter se his codicibus exhibeantur Maximi operis recensiones (quam rem iam Valent. Rosius, cum anno 1857 codices A et B inspiceret, se animadvertisse dicit in Aristotele pseudoepigr. pag. 607); sed priusquam, quid de earum rationibus sentiam, in medium profero, ut commode de iis disputare possim, nonnulla de duobus codicibus Parisinis exponere liceat, qui sunt bibliothecae Coislinianae, quosque descriptos habes in Montefalconii huius bibliothecae catalogo pag. 574 ss.

Codex 372, quem littera D notamus, membranaceus est saeculo XI scriptus. Continet, ut Montefalconius ait, S. Maximi opera quaedam in 71 capita distributa. Initio mutilus est, nam 'septemdecim priora folia iam desiderantur.' Quae supersunt initium ducunt fol. 18 ab his verbis capitis 4: — cατο. Ἀθηναίους δὲ χιλίους ἔπεμψαν (conferas Ribitti versionis pag. 187 v. 25 ss.). 'Eadem vero p. incipit cap. 5 περὶ δικαιοσύνης. Multa sub haec desiderantur a fine capitis 6 usque ad finem capitis 8 nempe a fol. 23 usque ad fol. 33 ubi desinit caput 8 incipitque 9 περὶ ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας. Caetera usque ad finem sana sunt.' Haec Montefalconii verba qui legerit eorumque meminerit, quae de Combefisii editione supra protulimus, minime dubitabit, quin hic codex idem sit, e quo Combefisius Maximi syllogen ediderit. Hic commemorandum videtur capitum titulos, qui sunt in editione Combefis., congruere cum Gesnerianae editionis titulis, nisi quod caput 60 apud Combefisium inscriptum est: Περὶ Ἀφροσύνης, Ἄφρονος καὶ Ἀνοητοῦ καὶ Ἀπαιδεύτου καὶ Μωροῦ, cum apud Gesnerum περὶ ἀφροσύνης tantum legatur. Praeterea caput, quod est περὶ φιλαυτίας, apud Combefisium est 69, apud Gesnerum 70, id vero, quod inscribitur: περὶ τοῦ ὅτι εὔκολος ἡ κακία, καὶ δυσπόριστος ἡ ἀρετή, Combef. editionis est 70, Gesnerianae 69.

Alter codex bibliothecae Coislinianae est 371, quem littera E notamus. Membranaceus est X saeculo scriptus, folia habet 155. S. Maximi collectionem sententiarum continet in capita 71 divisam. Accuratum Montefalconius confecit catalogum, quo et titulos capitum indicat et prima, a quibus singula capita incipiunt, verba et lemmata sententiis singulis praefixa (earum tamen, quae e sacra scriptura ascitae sunt, sententiarum lemmata omisit).

Capitum tituli et ordo iidem sunt, qui in Gesneriana editione. Pag. 579 pauca in fine codicis Montefalconius deesse dicit, et sane ultimum capitis 71 (in eius certe catalogo) lemma est 'Demosthenes', cum in editione Combefisiana (item in Ribitti translatione) post sententiam Demosthenis apophthegma legatur Epicteto (Ribittus: 'Epicliti') tributum, quod duo Alexandri excipiunt. Montefalconius ipse monet Maximi sermones, quales sint in

codice E, in non paucis discrepare ab editis (sine dubio editionem Combefisianam intellegit); et profecto, si lemmata, quae in capitibus 11 et 15 codex E exhibet, cum iis contulerimus, quae iisdem in capitibus codex D praebet, Montefalconium rectissime iudicasse intellegemus. Quapropter conspectum proponere liceat, quo lemmata capitum 11 et 15, quae in codice D (i. e. in editione Combefis.) et in codice E exstant, inter se comparentur, quibus adiungam ea, quae in codice A leguntur et in Ribitti versione (i. e. in eo codice, quo usus est Gesnerus).

CAPUT XI.

cod. D sive ed. Co.	cod. E	cod. A	Rib. vers. s. cod. Gesn.
Λουκ. ϛ'		τοῦ εὐαγγελίου	Matth. 5[1])
Ιουδ.		τοῦ ἀποϲτόλου	Apostoli Judae
Παροιμ. κϛ'		ϲολομῶντοϲ	Solomonis
Ηϲαι. γ'		ἠϲαίου τοῦ Chrys.	Esaiae 3.
Βαϲιλείου	Basilii	τοῦ ἁγίου βαϲιλείον (sic)	S. Basilii
Θεολόγου	Gregorii Naz.[2])	τοῦ ἁγίου γρῆγρ'	Theologi
Χρυϲοϲτ.	Chrysostomi	τοῦ Χρυϲοϲτόμου	Chrysostómi
Κλήμεντοϲ	Clementis	κλήμεντοϲ	Clementis
Πλουτάρχ	Plutarchi	πλουταρχ	Plutarchi
Ιϲοκράτ.	Isocratis	ἰϲοκράτουϲ	Isocratis
Κράτηϲ	Diogenis	Διογέν	Diogenis
Ἐπικτήτου	Demosthenis	Δημοϲθέν	Demosthenes[3])
Δίωνοϲ τοῦ Χρυϲοϲτ.	Antisthenis	ἀντιϲθένουϲ	
Διογέν.	Cratetis	κράτητο	Cratetis
Δημοϲθ.	Phavorini	ἐκ τῶν φαβωρίνου	Ex Phavorini commentariis
Ἀντιϲθέν.	Zenonis	Ζήνωνοϲ	Zenonis
Φαβωρίν	Pythagorae	πυθαγόρου	Pythagorae
Ζήνωνοϲ	Socratis	ϲωκράτουϲ	Socratis
Πυθαγόρ.	Epicteti	ἐπικτήτου	Epicteti
Cωκράτηϲ	Philonis	Φίλωνοϲ	Philonis
Φίλωνοϲ	Sotionis	Cωτίωνοϲ ἐκ τοῦ περὶ ὀργῆϲ	Sotionis ex lib. de Ira
Cωτιώνου ἐκ τοῦ περὶ ὀργῆϲ	Dionis[4]) Chrysostomi	Δίωνοϲ τοῦ Χρυϲοϲτόμου	Dionis Chrysostomi
Φωκίων	Phocionis	Φωκίωνοϲ	Phocionis

[1]) Et Combefisium et Ribittum in codicibus suis nihil nisi τοῦ εὐαγγελίου legisse veri simile est, itaque alterum, ut accuratius locum indicaret, posuisse Λουκ. ϛ', ubi hoc, quod a Maximo affertur, Christi apophthegma re vera exstat, alterum adscripsisse Matth. 5, ubi non eandem, sed simillimam sententiam invenies.

[2]) i. e. Theologi.

[3]) Antisthenis nomen in margine non legitur, sed Demosthenis apophthegma sententia excipit, quae lemmate carens ab Antisthenis nomine incipit.

[4]) 'Dionis Chrysostomi' apud Montefalconium duo sunt lemmata, sed haec nomina ad eundem virum pertinere apparet.

CAPUT XV.

cod. D. s. ed. Co.	cod. E	cod. A	Rib. v. s. c. Gesn.
Ματθ. ε′		τοῦ ἐυᾱȣ	Matth. 5
Ιακ. α′		τοῦ ὀπō	Iacobi 1
Coλoμ.		coλoμτ̅	[1]
Cιράχ κα′		cιράχ	Sirach 21
Βαcιλείου	Basilii	τοῦ ἁγίου βᾶλ′	S. Basilii
Θεολόγου	Gregorii Naz.	τοῦ θεολόγου	Theologi
Χρυcοcτ.	Chrysostomi	τοῦ Chrys.	Chrysostomi
Νείλου	Nili	Νείλου	Nili
Διδύμου	Didymi	Διδύμου	Didymi
	Isocratis	ἰcοκράτουc	[2]
	Demosthenis	Δημοcθένουc	Demosthenis[3]
	Clitarchi	κλειτάρχου	Clitarchi
Μοcχίωνοc	Moschionis	μοcχίωνο	Moschionis
Δημώνακτ.	Demonactis	Δημωνάκτου	Demonactis
Cόλωνοc	Solonis	cόλωνοc	Solonis
Διογέν.	Diogenis	Διογένουc	Diogenis
Ἐτεόκλουc	Eteoclis	ἐτεοκλεουc	Eteoclis
Cωκράτηc	Isocratis[4]	cωκράτουc	Socratis
	Menandri	μενάνδρου	Menandri
[5]	Epicharmi	ἐπιχάρμου	Epichanni
	Herodoti	ἡρο ΔΤ	Herodoti
[5]	Euripidis	εὐριπίδουc	[6]
	Pythagorae	[7]	Pythagorae
Ανταγόραc	Antagorae	ἀνταγόρου	Antagoras
ἱέρων	Hieronis	ἱέρωνοc	Hieronis
Οἰνοπίδ.	Oenopidis	οἰνοπ Δ′	Oenopidae
Ρωμύλ	Romuli	ρωμύλ	Romuli

[1]) Post Iacobi sententiam alia sequitur, quae lemma non habet, sed eadem est, quae in edit. Combef. et in codice A Solomoni tribuitur.

[2]) Hoc loco sententia exstat, quae lemmate caret, in codice A vero eadem Isocrati tribuitur.

[3]) Hic Ribittus scripsit: ʻDemosthenis alias Democritiʼ. Hoc ʻaliasʼ quid Ribittus indicare voluerit, incertus sum; dubito enim, utrum exprimere voluerit litteras, quae in codice fuerint, et ʻDemosthenisʼ et ʻDemocritiʼ explicari potuisse, an fortasse Δημοcθένουc correctum fuisse in Δημοκρίτου.

[4]) Lemma ʻIsocratesʼ hic non recte se habere videtur, cum et in codice Laur. A et in Ribitti translatione et in ed. Combef. traditum sit Socratis. Haec nomina facillime potuerunt commutari et saepe in florilegiis huius generis inter se sunt commutata.

[5]) Altera Epicharmi sententia Τρόποc ἔcτω κτέ. in edit. Combef. legitur sine lemmate, item Euripidis versus: Τὸ γὰρ κτέ.

[6]) Lemma Euripidis deest, sed eadem hoc loco legitur sententia, quae in codicibus E et A Euripidis est.

[7]) Lemma Πυθαγόρου desideratur, sed eadem hoc loco exstat sententia, quae in codice B et apud Ribittum Pythagorae tribuitur.

Quodsi horum capitum et totorum codicum rationes pares esse credere licet, ex hoc conspectu et ex eo, quem in calce proponimus, apparet simillimos inter se esse codicem Parisinum E, codicem Laurentianum A,

codicem Gesneri. Nam in his tribus codicibus capita 11 et 15 ex iisdem sententiis constant, quarum idem in omnibus est ordo. Et cum aegre mihi ferendum sit codicis Laurentiani A duo tantum capita cum Gesneri codice a me comparari posse, ad cognoscendam codicis Paris. E condicionem praesidium minime spernendum praebet conspectus ille, quem Montefalconius in catalogo proposuit. Nam si quis lemmata codicis Parisini E contulerit cum iis, quae exstant in Ribitti translatione, mox eum sibi persuasurum existimo codicem E et Gesneri codicem aut eandem exhibere Maximiani operis recensionem aut, id si mihi non concedatur, simillimos inter se esse hos codices. In plurimis enim capitibus uterque codex prorsus eadem habet lemmata, et quamquam in non paucorum capitum lemmatis alter ab altero recedit, tamen hae discrepantiae tales sunt, ut e depravationibus, quas lemmata per varias describendi vicissitudines passa sunt, oriri potuerint. Quam tristis enim lemmatum eiusmodi fuerit sors, neminem, qui vel unam eius generis syllogen pertractaverit, praeterierit. Iam cum hi tres codices: Paris. E, Laurent. A, codex Gesneri aut eandem aut simillimas certe Maximianae sylloges recensiones contineant, inter eos autem codex Paris. E omnium codicum manu scriptorum Maximi opus exhibentium, quod sciam, antiquissimus sit, hos codices (vel hanc codicum familiam) aut genuinam Maximi collectionis formam et speciem praebere conicio aut talem certe, quae ad genuinam proxime accedat.

Et a Maximo ipso quidem 71 tantum capita profecta videntur, nam 4 capita illa, quae post 71 in codicibus A et B tradita sunt, ab alio viro quodam scripta esse praeter eas, quas supra attuli, causas ob eam quoque rem persuasum habeo, quod re vera uno tantum in codice 71 genuini operis capitibus adiecta sunt (in codicem B enim e codice A ea transcripta esse supra ostendimus). Neque enim cod. E, qui omnium codicum Maximi syllogen exhibentium antiquissimus est, nec codex D nec Gesneri codex nec codex Vindobonensis nec Venetus (de quibus infra exponam) plura quam 71 comprehendunt capita. Nec denique is, qui florilegium Lipsiense*) scripsit, codice usus est, qui plura haberet capita. Codex Baroccianus 2 sane, in quo Maximi collectionem inesse me conicere supra dixi, 73 habet capita, sed cum saeculo XII demum scriptus sit et omnino valde dubia eius sit condicio, haec res sententiam, quam de extremis codicis A capitibus proposui, labefactare nullo modo potest.

At prorsus alia codicis Parisini D est condicio, e quo Combefisius Maximi sermones publici iuris fecit. Quam editionem si cum Ribitti translatione comparaveris, mox intelleges, quantum differat recensio, quae hoc in codice est, ab ea, quam in codicibus A, E, Gesneri inesse ostendimus. Nonnulla sane capita in codice D ex iisdem composita sunt sententiis, e quibus in Gesneri constant codice, sed permulta aut plures aut pauciores sententias exhibent, quam leguntur apud Ribittum, cuius rei aptissima exempla praebent caput 17 et 49. Grammaticum igitur, qui hanc fecit recensionem, eam rationem secutum esse existimemus necesse est, ut in

*) De eo infra pluribus disseremus.

describendo Maximiano opere et omitteret sententias, quas in exemplari suo invenisset, et in genuinum opus inferret alias, quas aliunde assumpsisset. Nam quod obiciat quispiam sententias eas, quae exstent in editione Combefisiana neque inveniantur in Ribitti versione, e libro in codicem D fluxisse, qui Maximi opus plenius atque amplius exhibuerit quam codex Gesneri, infra ostendemus grammaticos in describenda Maximi sylloge ita versatos esse, ut arbitratu suo eam hic augerent, illic in angustiorem formam contraherent. Amplificasse autem singula capita videntur sententiis, quas e collectionibus sententiarum Maximianae similibus asciverant.

Non prorsus negaverim, eos interdum sententias Maximiano operi inseruisse e libris excerptas, quos ipsi pertractassent (id quod in sacram scripturam potissimum et scriptores ecclesiasticos, qui dicuntur, cadit), sed cum homines eius aetatis, qua florilegii Maximiani recensiones illae factae sunt, scriptores classicos, quos dicunt, admodum raro legisse constet, veri simile est in augendo Maximi sylloge aliorum copiis eos usos esse. Quot vero et quam uberes sententiarum collectiones praeter eas, quae ad nostram aetatem pervenerunt, grammaticis illis praesto fuerint luculenter ostendit Fr. Ritschelius in opusculorum vol. I p. 578 s.

Sed in recensenda hoc modo sylloge Maximiana grammatici semper id egerunt, ut singulorum capitum titulos et prima eorum verba retinerent, qualia in exemplaribus, quae describebant, legissent. Nam hac quidem in re codex Paris. D et cum codice Paris. E et cum Ribitti versione (i. e. cum Gesneri codice) prorsus congruit.*)

Quin etiam florilegium Lipsiense**), quod singulorum capitum forma ac specie a codice Paris. E et Gesneri codice quam longissime recedit, hac in re ab eis omnino non diversum est. Quare cum Westermannus id tantum dixerit hoc florilegium totum e Maximi opere pendere, equidem contenderim hanc syllogen Lipsiensem nihil aliud esse nisi Maximiani florilegii recensionem.

Quae modo de codice Parisino D exposuimus, in codicem Laurentianum C quoque cadunt, in quo Maximiani operis recensionem contineri dissimillimam ei, quam praebeant codex Paris. E, Laurentianus A, Gesnerianus, e conspectu capitum 11 et 15 supra proposito clarissime

---

*) Caput 62 sane in codice Paris. E ita incipit: τοῦ εὐαγγελίου: κατὰ δὲ ἑορτὴν εἴωθεν ὁ ἡγεμὼν ἀπολύειν ἕνα τῷ κτέ., cum in codice Gesneri (i. e. et in Gesneri editione et Ribitti versione), item in florilegio Lipsiensi prima capitis huius verba sint: (πρὸς ῥωμ. ζ') συνήδομαι τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον κτέ. Sed tollitur haec difficultas eo, quod in Gesneri editione capitis verbis ipsis superscriptum est: Λείπει τι ἐνταῦθα ἐκ τοῦ εὐαγγελίου. Gesnerum igitur sententiam quandam deesse inde collegisse conicio, quod in codice suo lemma tantum τοῦ εὐαγγελίου invenisset, quod lemma in Lipsiensi quoque florilegio legitur, quamquam sententia ipsa, ad quam referri possit τοῦ εὐαγγελίου, non exstat. Omnino enim veri simile est in Gesneri codice pariter atque in aliis Maximiani operis codicibus primum capitis eiusque lemma fuisse τοῦ εὐαγγελίου.

**) Huius florilegii specimen edidit Ant. Westermannus in programmate universitatis Lipsiensis anni 1864.

apparet. In his enim capitibus codex Laurent. C fere easdem exhibet sententias, e quibus eadem capita in tribus illis codicibus constant, sed praeter has multas alias, quae in illis non leguntur. Hic vero sat probabili exemplo ostendi potest sententias, quibus haec codicis Laur. C recensio amplior sit quam ea, quae in tribus codicibus illis insit, a grammaticis genuino Maximi libro aliunde insertas esse.

Inter eas enim sententias, quae hoc uno in codice exstant neque in ceteris codicibus leguntur, una est, quae Photio patriarchae tribuitur, qui obiit anno p. Chr. n. 981. Iam vero Montefalconius codicem Parisinum E saeculo X exaratum esse censet, unde consequitur Maximi opus aut ante aut certe intra hoc saeculum scriptum fuisse*) (nam viginti saeculi X extremis annis id confectum esse prorsus a veri similitudine abhorret). Is igitur, qui hoc florilegium composuit, Photii sententiam adsciscere non potuit, itaque in codicem Laur. C ab eius scriptore eam aliunde illatam esse statuamus necesse est. Quodsi probavimus codicis C scriptorem hanc sententiam Maximiano operi inseruisse, omnino eum in recensenda Maximi sylloge ita versatum esse, ut alienis opibus eam augeret, credere licebit omnesque sententias, quae in ceteris codicibus non legantur, huic interpolatori deberi.

Alia est condicio recensionis eius, quam praebet codex Laurent. B. Quam qui fecit, codice usus est Laur. A simillimo, sed hunc ipsum in manibus eum non habuisse inde apparet, quod cum sententiae Αἱρετώτερόν ἐστι κτέ., quae est capite 15 extremo, in codice B nomen Πυθαγόρας adscriptum sit, eadem sententia in codice A lemmate caret. Quantum e conspectu supra proposito intellegere licet, codicis B scriptor id egisse videtur, ut Maximi opus in angustiorem formam contraheret, nam in capitibus certe 11 et 15 permultas omisit sententias.

Iam restat, ut pauca de codicibus Vindobonensi et Veneto supra commemoratis adiciam, quos libros accuratius cognoscere me non potuisse aegre ferendum est.

De codice Vindobonensi Lambecius in commentariorum de bibliotheca Caesarea lib. IV p. 213 haec habet: ‘CXCV. Codex manuscriptus Theologicus Graecus est membranaceus pervetustus et optimae notae in quarto constatque foliis 142, et ad Ioannem Sambucum, ut ipse solita propriae manus inscriptione testatur, olim pertinuit. Continentur eo S. Maximi Monachi et Martyris Loci communes Sententiarum, ex variis sacris et profanis Autoribus collecti, et in Capita septuaginta unum divisi, quorum primum inscribitur περὶ βίου ἀρετῆς καὶ κακίας, sive, De vitae virtute et vitio; ultimum autem περὶ τοῦ ὅτι οὐκ ἀεὶ τὸ πλεῖστον, ἄριστον.’

De codice Marciano nonnulla iam supra cap. I attulimus. Quae praeter ea commemoranda videntur, hic adiungamus. Codex membranaceus est, forma, quam dicunt, quadrata. Constat foliis 208 et saeculo circiter XII scriptus est. Tituli verba sunt haec: Βιβλίον γνώμας ἔχον ἐκ πάντων

*) Hac in argumentatione eius rei rationem non habere liceat, quod Maximum Confessorem, qui hanc syllogen fecisse dicitur, saeculo septimo vixisse constat.

ἐν ἐπιτόμῳ. Zanettius codicem discrepare dicit ab editis per Combefisium, convenire vero cum Coisliniano i. e. cum Parisino E. Fortasse igitur eandem continet Maximiani operis recensionem, quam in codice Parisino E, in codice Laurentiano A, in Gesneri codice inesse demonstrare studuimus.

Postremo loco pauca de Gesneri codice addere liceat. Gesnerum nullum de tribus codicibus Laurentianis in manibus habuisse unus quisque intelleget, si fragmenta capitum 11 et 15, quae in volumine Tigurino leguntur, cum iisdem capitibus codicum Laurentianorum contulerit; nam in non paucis sententiis alias illa scripturas praebent atque haec. Sed ne Parisinum quidem codicem E Gesnero praesto fuisse ex iis concludas, quae de lemmate quodam cap. 15 diximus. *) Nec Vindobonensi nec Marciano codice Gesnerum usum esse non aeque firmis argumentis probari potest, sed si verum est, quod de Gesneri codice (quem eundem Mendozzae dicere possumus) supra (cap. II) contendimus, eum et Maximi et Antonii opus comprehendisse, efficitur, ut codex ille et a Vindobonensi et a Marcio diversus fuerit. Est autem veri simile (ac paene certum esse dicere licet) illum Gesneri vel Mendozzae codicem non ad nostram aetatem pervenisse. Constat enim Mendozzam bibliothecae suae heredem regem Hispaniae fecisse, eamque in bibliothecam Escorialensem illatam esse, qua de re diserte exposuit Millerus in praefatione catalogi manuscr. graec. bibl. Escor. inde a pag. IV. Idem ostendit magnam codicum, qui olim hac in bibliotheca servati fuerint, partem incendio, quod anno 1671 accidisse supra commemoratum est, consumptam esse. Cum vero Gesneri codex ille in bibliotheca Escorialensi nunc non reperiatur, equidem credo cum multis aliis Mendozzae codicibus eum tum igni deletum esse.

Disputatiuncula
de florilegio quodam inedito, quod continetur codicibus Monacensi 429 et Barocciano 143.

Saepius in capitibus prioribus codicis Monacensis 429 mentionem fecimus, quam ob rem nunc accuratius de eo exponamus necesse videtur. Cum enim e praefatione voluminis Tigurini vidissem Gesnerum in edendo hoc libro Augustano codice quodam, quo Antonii Melissam contineri putabat, usum esse, fortasse hunc codicem nunc in bibliotheca regia Monacensi servari in mentem venit. Nec spes me frustrata est; nam cum Fr. Ritschelius, praeceptor humanissimus, a Carolo Halmio, quem honoris causa nomino, petiisset, ut, si codex ille in bibliotheca Monacensi exstaret, Lipsiam mitteretur, liberalissime Halmius amici precibus obsecutus codicem huc transportandum curavit, ubi accurate eum pertractare egregio

*) In adnotatione 4 ad conspectum lemmatum cap. 15.

praeceptoris officio per complures menses licuit. Sed ubi primum eum evolvi, intellexi non Antonii Melissam in eo inesse, sed aliam quandam sententiarum syllogen Antonianae similem illam quidem sed multis in rebus ab ea diversam. At tamen, quin hoc e codice Vuolfgangus Musculus ea, quae Gesnero misit, sumpserit, dubitare non potui, quia hunc codicem Monacensem olim ad bibliothecam urbis Augustae Vindelicorum pertinuisse certissimis argumentis probari potest. Externae enim codicis tegumenti adversi paginae chartula allita est, cui litteris valde consumptis haec inscripta sunt: 'Ἀπομνημονεύματα διαφόρων θεολόγων, φιλοσόφων, ποιητῶν καὶ ῥητόρων

Memorabilia diversorum Theologorum philosophorum Poetarum et oratorum.'

Eundem vero titulum invenimus in tribus catalogis codicum manu scriptorum bibliothecae Augustanae, quos in bibliotheca Paulina mihi praesto fuisse gaudeo. In antiquissimo eorum, qui Augustae Vindelicorum ex officina Mich. Mangeri prodiit a. 1575, codex numero 51 signatus continere dicitur: 'ἀπομνημονεύματα diversorum Theologorum poetarum, et Philosophorum (Haec Tiguri sunt edita: sed exempla nulla supersunt'.*) Deinceps in Hoeschelii catalogo, edito Augustae Vind. a. 1595 pag. 33 (num. I 1) commemorantur: 'ἀπομνημονεύματα, dicta memorabilia philosophorum et poetarum nec non Theologorum. charta fol. Edita Tiguri'. In indice denique manuscriptorum bibliothecae Augustanae ab Antonio Reisero a. 1675 pervulgato (p. 33, 10) codicis mentio fit, in quo inesse dicuntur: 'ἀπομνημονεύματα, id est, Dicta et facta memorabilia diversorum Theologorum, Poetarum et Philosophorum'. Iidem numeri 33 n. 10 in ea codicis Monacensis tegumenti parte, quam nos tergum dicimus, picti exstant. Accedit, quod interior tegumenti adversi pagina urbis Augustae Vindelicorum insigne variis coloribus pictum exhibet.

Quod ad externam codicis speciem attinet, chartaceus est in assere**), corio albo tectus et aere clausus in folio'. Litteris minutis et nitidis multisque compendiis scriptus est saeculo XIV. Praeter primam manum alteram cognoscere licet, quae multas sententias in marginibus adscripsit, nonnulla in versibus ipsis correxit; alias mutationes manus recentiores fecisse videntur.

Titulum, cuius verba extrema vetustate valde consumpta sunt, Hardtius ita legendum putavit: Ἀπομνημονευμάτων ἐκ διαφόρων ποιητῶν τε καὶ ῥητόρων· ἔκ τε τῶν θύραθεν, καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς ἱερᾶς, καὶ φιλοθέου παιδείας ἑκάστη τῶν προκειμένων ὑποθέσεων οἰκείων ἁρμοζόντως ἔχουσα. Sed et litterarum vestigia et codex Baroccianus 143, de quo statim pluribus exponemus, docent in codice Mo-

*) Hinc colligas, quam rarum iam illo tempore volumen Tigurinum fuerit, cuius exempla nunc rarissime in bibliothecis inveniuntur.

**) Ut Ignatius Hardtius ait, qui codicem accuratissime descripsit in catalogi codicum manuscript. bibl. reg. Bavaricae tom. IV p. 320 ss.

nacensi olim scriptum fuisse: ὑποθέcεων οἰκείωc καὶ ἁρμοζόντωc ἔχουcα.*) Titulum sequitur capitum conspectus, quae numero sunt 56.

Folii 130 pag. vers. extremis florilegii verbis subscripta sunt haec:

ἡ παροῦcα μέλιcca ἐγράφη ἐν τῷ ϛῶνδ' ἔτει: μην ἰουλλ ἰΓ πρὸc**) ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτλ Νικηφορ ἱερέωc τοῦ (rasura) καὶ ὅcοι ἀναχείραc

λάβετε αὐτοι ευχεcθαι μοι διὰ τὸν κν: καὶ ὁ θεὸc cυγχωρήcει

πάνταc ὑμᾶc:

ἡ μέλιcca ιω βιργετιc (a man. rec. scriptum)

βίβλοc μέλιcca καλῶν πραγμάτων.

Haec certiores nos faciunt primum hunc codicem olim Ionnis Birgetis (quod nomen non admodum perspicue scriptum est) fuisse, deinde scriptum esse codicem anno 6854 (i. e. post Chr. n. 1346) a Nicephoro sacerdote. Quis hic Nicephorus fuerit, accuratius intellegere fortasse possemus, nisi verba nonnulla, quae post τοῦ olim legerentur, erasa essent. Conicere tamen licet hunc codicem exaratum esse a Nicephoro Xanthopulo, qui circa annum 1320 floruit cuiusque scripta multa ad nostram aetatem pervenerunt. Conferas de eo Nicolai hist. litt. gr. p. 678. 713.

Florilegium hoc Monacense eo simile est syllogis Maximi, Antonii, Ioannis Damasceni, Georgidii (seu Georgidis), quod in singulis capitibus primum locum obtinent sententiae, quae e sacra scriptura, alterum, quae e scriptoribus ecclesiasticis, tertium, quae e profanis scriptoribus adscitae sunt. Sed cum Maximi et Antonii syllogis multo artiore etiam cognationis vinculo continetur. Nam non solum plurimae capitum florilegii huius inscriptiones in Maximi et Antonii syllogis reperiuntur, sed etiam longe maxima sententiarum, quae in codice Monacensi leguntur, pars in duabus gnomologiis illis exstat. At tamen, cum diligenti collatione facta vidissem permultas***) in codice Monacensi inesse sententias (ex antiquorum quidem scriptorum libris adscitas)', quae nec apud Maximum nec apud Antonium traditae essent, hunc codicem non indignum existimavi, qui accuratius pertractaretur.

Iam e Coxii catalogo cognovi codicem Baroccianum 143 eodem titulo inscriptum esse, quo codicem Monacensem, et cum Coxius, vir humanissimus (rogante Guilielmo Dindorfio, cui maximam hac de re habeo gratiam) nonnulla de hoc codice liberalissime mecum communicavisset, intellexi tantam inter hos codices intercedere similitudinem, ut idem florilegium in utroque contineri contendere liceret. Est autem codex Baroccianus 143 'membranaceus in 4to, ff. 259, saeculi XII, suppletis hic illic foliis paucis recentioris aevi scil. saec. XV.' Praevia operi ipsi (ut in codice Monacensi) capitum est tabula, quae numero sunt 48.

---

*) In codice Barocciano 143 scriptum exstat: ὑποθέcεων οἰκείωc καὶ ἁρμοζόντοc (sic) ἔχουcα.

**) Ita legendum est, non cum Hardtio παρ'.

***) Adhuc circiter 200 deprehendi, quamquam multo maiorem earum numerum esse conicio.

Ut lectores benevoli perspicere possint, et quae sit florilegii huius natura, et quae similitudinis ratio inter hos codices intercedat, capitum titulos et duorum capitum lemmata transcribam, qualia in codice Monacensi leguntur, ita quidem, ut significem, quibus rebus alter codicum ab altero discrepet.

Capitum conspectus.

Cod. Barocc. 143.		Cod. Monac. 429.
	1)	περὶ νηστείας καὶ τοῦ πῶς δεῖ νηστεύειν
	2)	,, ελεημοσύνης
	3)	,, προσευχῆς
. . χάριτος καὶ εὐχαρ.	4)	,, εὐεργεσίας καὶ χάριτος· εὐχαριστείας καὶ ἀχαριστείας
	5)	,, δικαιοσύνης καὶ νόμου
	6)	,, πίστεως
	7)	,, ἀγάπης
	8)	,, ὑπομονῆς καὶ μακροθυμίας καὶ τοῦ φέρειν γενναίως τὰς συμφοράς
	9)	,, φρονήσεως καὶ βουλῆς
	10)	,, πλούτου πλεονεξίας καὶ φιλαργυρίας
	11)	,, φίλων
pro ἑστάτου — εσταγου κατὰ στάσεως deest	12)	,, ἑρμηνεία τοῦ ἁγιου βασιλ καὶ λοιπῶν ποιητῶν τὸ τί ἐστιν κυβέρνησις· καὶ περὶ τῆς ἑστάτου καὶ ἀβεβαιου τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων; κατὰ στάσεως
	13)	,, ἁμαρτίας
	14)	,, ..ρκου καὶ ἐπιορκείας
	15)	,, λύπης καὶ ἀθυμίας
	16)	,, νουθεσίας καὶ διδαχῆς
	17)	,, ἐλπίδος
	18)	,, γαστριμαργίας
	19)	,, συνηθείας καὶ ἔθους
	20)	,, ἐξαγορεύσεως· καὶ ἐὰν μετὰ τὴν ἐξαγόρευσιν, πάλιν ὠλίσθησεν
	21)	,, ὕπνου καὶ ἀγρυπνίας
	22)	,, υπερηφαν..ς καὶ ταπεινωφροσύνης
	23)	,, γλωσσαλγίας. λοιδωρίας καὶ ψιθυρισμοῦ
κολακείας	24)	,, κολακίας
μυστήριον	25)	,, σιωπῆς καὶ ἡσυχίας· καὶ τοῦ φυλάττειν μυστήρια
	26)	,, ἐπιμελείας ψυχῆς
	27)	,, γέλωτος
	28)	,, ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας
	29)	,, βασιλέως χριστοῦ καὶ ἀχριστου
	30)	,, ψόγου καὶ διαβουλῆς
	31)	,, εὐτυχίας καὶ δυστοιχίας
	32)	,, ὀκνείας καὶ γογγισμοῦ· οἱ καὶ τῶν χριστῶν καὶ ἀχρίστων
γεωργῷν καὶ ὅτι	33)	,, γεωργίας καὶ γεωργῶν· ὅτι καλὸν τὸ ἐργάζεσθαι
	34)	,, ὀργῆς καὶ θυμοῦ ζήλου καὶ μνησικακίας
	35)	,, μέθης

	Cod. Monac. 429.	Cod. Barocc. 143.
36)	περὶ φθόνου	
37)	,, δόξης	
38)	,, παιδείας καὶ φιλοσοφίας	πεδείας
39)	,, τιμῆς γονέων καὶ φιλοτεκνίας	
40)	,, ἀνδρείας καὶ ἰσχῦος	
41)	,, ἁγνείας καὶ σοφρωσύνης	σωφρωσύνης
42)	,, εἰρήνης καὶ πολέμου	
43)	,, τοῦ ἔχειν φόβον θεοῦ	τοῦ ἔχειν delentur
44)	,, ἐνυπνίων	
45)	,, κενοδοξίας	
46)	,, ἀληθείας καὶ ψεύδους	
47)	,, θανάτου καὶ τῶν ἐκεῖθεν δειγμάτων	
48)	,, κάλλους καὶ βλακείας	καλους
49)	,, γήρως καὶ νεότητος	Haec capita in codice Barocciano non exstant.
50)	,, εὐγενείας καὶ δυσγενείας	
51)	,, φιλαυτίας	
52)	,, ἰατρῶν	
53)	,, ἐχθρῶν	
54)	,, πολυπραγμωσύνης	
55)	,, ἀφροσύνης	
56)	,, γυναικῶν ἀγαθῶν καὶ πονηρῶν	

Sententiae, e quibus constant capita 11 et 24, haec habent lemmata:

Caput XI.

Cod. Monac. 429.	Cod. Barocc. 143.
τοῦ εὐαγγελίου	
τοῦ σολομῶντος	
τοῦ σιράχ	
τοῦ ἅγ βασιλ	Βασιλείου
τοῦ θεολογου	
τοῦ χρυσοστόμου	
τοῦ νίσσης	νύσης
μαξίμου	
τοῦ φίλωνος	
πλουταρχου	
ἀριστοτέλους	
ἰσοκράτους	
δημονάκτου	
διωδωρ σικελλιώτου	διοδ. σικελι.
φιλίππου βασιλέως	
δίωνος τοῦ χρυσοστομου	
δίωνος τοῦ ῥωμαίων	
δημοσθένους	
σοκράτους	σωκράτους
εὐρυππίδους	εὐριπίδους
κλιταρχου	κλειτάρχου
μοσχίωνος	
κλειτάρχου*)	deest
κάτωνος	

*) Hoc lemma non a prima manu scriptum, sed ab altera profectum est.

Cod. Barocc. 143.	Cod. Monac. 429.
μενάνδρου	μενανδρ
	κριτίου
	πολυαίνου
κυψέλου	κυψέλλου
ἐ. τ. ἐ. ἰcοκράτουc καὶ δημώνακτοc	ἐκ τῶν ἐπικτήτου ἰcοκράτου καὶ δημονάκτου
	cέκστου
πιττάκου	πιτακου
	κυρου
	νικοκλῆc
	ἀντιγόνου βαcιλεωc
φιλιcτίωνοc	φιλοcτίωνοc
ἀριcτίπου	ἀριcτοπίcτου

Caput XXIV.

Cod. Baroco. 143.	Cod. Monac. 429.
	τοῦ εὐαγγελίου
	τοῦ ἀποcτόλου
ἠcαίου	
	τοῦ δᾱ̓δ
	τοῦ cολομῶντοc
	τοῦ ἅγ βαcιλ
	τοῦ θεολόγου
	τοῦ χρυcοcτόμου
	κλήμεντοc
	φωτίου πατριάρχου
	πλουτάρχου
	ἰcοκρατουc
	φίλωνοc
	διογένουc
	θημοcθενουc
	ἀντιcθένουc
κρατιτοc	κράτητοc
	ζήνωνοc
	πυθαγόρου
ἐκικτητίωνοc	ἐπικτήτου
	διωνοc τοῦ χρυcοcτόμου
	φωκίωνοc
πολυένου	πολυαίννου
	ἴγνατιου

Ex his conspectibus apparet codicem Monacensem simillimum esse codici Barocciano, neque tamen contenderim Nicephorum (qui codicem Monacensem exaravit) codice Barocciano ipso usum esse (quamquam non sat firmis praesidiis instructus sum, ut certum hac de re iudicium facere possim). Nam codex Monacensis octo capitibus uberior est quam Baroccianus*), et is qui hunc codicem scripsit florilegium suum exorsus est a

